84

1. Wellisch 37/38.1. Kat. 2.78 ls
VD 16 G 1793, Kat Weiss 12.4.09
2. Beidruck von Wellisch B-3.1. Kat. 6.78
Vischer G 914, Kat Weiss 12.4.09 ls

Gal. 8°. 200.
Gal 5. 200.

CONRADI GESNERI MEDICI, DE RARIS ET ADMIRANDIS HERBIS, QVAE SIVE QVOD NOCTV luceant, ſiue alias ob cauſas, LVNARIAE nominantur, Commentariolus: & obiter de alijs etiam rebus quæ in tenebris lucent.

Inſeruntur & Icones quædam herbarum nouæ.

EIVSDEM DESCRIPTIO MONTIS FRACTI, ſiue Montis Pilati, iuxta Lucernam in Heluetia.

HIS ACCEDVNT

IO. DV CHOVL G. F. Lugdunenſis, Pilati Montis in Gallia Deſcriptio.

IO. Rhellicani STOCKHORNIAS, qua STOCKhornus mons altiſsimus in Bernenſium Heluetiorum agro, verſibus Heroicis deſcribitur.

TIGVRI
Apud ANDREAM Geſnerum F. & IACOBVM Geſnerum, fratres.

Cl. V. D. Rod. Gualthero amico candidiſs°.
Con. Geſnerus D.D.

STADTBIBLIOTHEK * ZÜRICH *

LAVRENTIO GRYLLO MEDICO EXCELLENTI CONradus Geſnerus medicus S. D.

IAM unus aut alter annus labitur, ex quo permulti & literarum ſtudioſi, & alij quidam curioſi homines, qui in ſtirpiũ notitia nonnihil me conſecutum ſibi perſuaſerant, perſæpe me domi meę de neſcio qua noctu ſplendente Lunaria ſciſcitati interpellarunt. Horũ me importunitas ſimul atq; curioſitas incitauit, ut quæcunque uel de noctu, præſertim ad Lunam (ſi quæ ſunt) ſplendentibus herbis, uel etiam non ſplendentibus communi tamen Lunariæ appellatis nomine, tum lectione, tum fama, tum meo ipſe ſtudio & peregrinationibus obſeruaſſem hactenus, in unum libellum conſcriberem: ut ſi quis mihi poſthac eadem de re moleſtus contingeret ſciſcitator, illi hac mea quæ publicè extaret indicata lucubratiuncula, uno uerbo ſatisfacerem. Hoc uerò qualecunque ſcriptum tibi imprimis clariſsime GRYLLE uiro cum in philoſophia tum in medicina noſtra excellenti dedicare, teq́; illius iudicẽ ſimul ac patronũ mihi deligere ſtatui.

Vale, & illuſtri generoſoq́ue uiro Mecœnati tuo, imò noſtro & eruditorum omnium D. Huldricho Fuggero, me cõmenda. Tiguri. Calendis Iulijs. Anno Salutis humanæ M. D. LV.

STADT BIBLIOTHEK ZURICH

DE REBVS NOCTV LVCENTIBVS ET LVNARIIS HERBIS, CONRADI GESNERI Commentariolus.

LVNARIAM QVAM RECENTIORES monſtroſè deſcribunt, & noctu lucere aiunt, herbam videri fictitiam.

MONSTROSA Lunariæ deſcriptione, qualem in progreſſu afferemus, uideri poſſunt aliqui homines ſtultos & auaros deludere, ac uana ſpe lactatos ad inquirendum fruſtra incitare uoluiſſe. Sic Vergilius etiam in Palæmone AEgloga tertia his uerſibus,

Dic quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo,
Tres pateat Cœli ſpatium non amplius vlnas,

Grammaticis ueluti crucem fixiſſe, in qua ſe aſsiduè diſtorquerēt, exiſtimatur: quod ipſe Cornificio & alijs quibuſdam grammaticis reſpondit, cū anxiè illi à poëta perquirerent ſi quid fortè remotius ſubeſſet. Talis & Promethei herbæ in Argonauticis Apollonij deſcriptio eſt, natæ (ut nugatur) ex ſanguine aquilæ illius quæ Promothei iecur exedit: flore cubitali (uel cubito à terra diſtante) croceo, & geminis innixo caulibus: radice ſucco ſanguineo manante. Scholiaſtes poëtam hęc comminiſci ait, nec ab ullo rhizotomo talem deſcribi ſtirpem.

Crux Grāmaticorum.

Prometheum herba.

FIERI POSSE, VT QVEMADMODVM inter cæteras res naturales, quædam noctu tantum lucent, ita etiam herbæ, quanquam nobis adhuc incognitæ, per noctem luceant.

LVcem quandam eſſe quæ noctu duntaxat luceat, non igneæ quidem illam naturæ (neq; enim diu durare poſ-

ſet) ſed mitioris cuiuſdã, & materiam in qua eſt non conſumentis, in multis tum naturæ tum artis operibus apparet. Illa quidem quæ in ſublimi aëre noctu aliquando relucent, ſiue reuera, ſiue uidentur tantum, his adnumeranda non ſunt: cum uel ignea ui conſtent, & euaneſcant, alia ſubitò, alia paulatim: uel lucem in ſe ueram non habeant, ſed radiorum refractione duntaxat habere uideantur. Placidæ uerò illius mitisq; lucis, non igneæ, ſed æthereæ potiùs, particulas quaſdam continent fortaſsis & gemmæ quædam, & plantæ, & animalia: & nonnulla artis opera, ut dicemus.

» Ariſtoteles libro 2. de anima, cap. 7. Nõ omnia (inquit)
» quæ uidentur in lumine uidentur, ſed uniuſcuiuſq; dunta
» xat proprius color. Nonnulla enim cum in luce cerni nõ
» poſsint, in tenebris poſſunt: ut quæ ignea apparent ac ſplẽ
» dent. Ea quidem nomine communi carent, ut ſunt fun-
» gus, cornu: piſcium capita, ſquammæ & oculi. Sed nullius
» horũ proprius color uidetur (noctu cũ lucent:) & quam
» ob cauſam hæc uiſu uſurpentur alia ratio eſt. Hunc locum interpretans Ammonius, uiſibilium differentiam duplicem ſtatuit. *Colores.* Genus primum colores nominat, qui niſi interdiu uideri nequeant. Alterum nomine communi ait carere, poſſe autem appellari ſplendida. *Splendida.* Horum rurſus quædam ait parũ & obſcurè ſplendere, ut ſunt pygolampides, ſquamæ, & alia huiuſmodi, & ſtellæ pleræq;: atque hæc noctu tantum conſpectari, hoc eſt ſplendorem eorũ, nõ etiam colores. breuior enim obſcuriorq; ipſorum lux eſt, quàm quæ ad noſtrum uſq; uiſum colorem etiam (figuramq;) corporis tranſuehere poſsit. Alia uerò ſplendidiora ſunt, quæ nocte pariter & die conſpiciuntur, ut Luna & ſtellæ quædam, præſertim ueſper terræ propior, & ignis. Cæterum Sol qui omnia ſuo ſplẽdore excedit, nocte cum abſit uideri non poteſt: ſed neq; per diem rectè & ut cæterauiſibilia, tantam in eo lucem acie noſtra non ſuſtinente: uel, ut Ammonius inquit, non proprie in die Sol uideri dicitur cum diem ipſe pariat: neq; in nocte & tenebris,

quas,ubicunq; eſt,abolet,Hæ [illegible]

Quædam in lumine uidentu[illegible] mus Sauonarola) ut colorata,& in tenebris,[illegible] Nam interdiu maius lumen offuſcat minus,& tum uid[illegible]ur ſolùm ut colorata:in nocte autem,ut lucentia ſolùm: cuiuſmodi ſunt parua animalia quæ noctilucæ uocantur. Ignis uerò tam in tenebris quàm in luce eodem modo uidetur: quia lumen eius eſt efficax ad mouendum diaphanum.

Soſigenes Alexandri præceptor tertio uolumine De uiſu,rationem afferre conatus eſt, quamobrem aliqua col lucere in tenebris uideantur. Flammulenta,inquit, hæc quadantenus naturam ætheris & quinti elementi participant:ea cognatione fieri,ut admotum ſibi aêrem,aut perſpicuum aliud corpus illuminent. Quòd autem id maximè noctibus faciãt,rationem eſſe, quia tum maius lumen abſit. Alioqui euenire interdiu ut exiguum eorum lumen quaſi exoleſcat,& offundatur in magno. Noctu ergo cũ refulgent, aêrem proximum & circumfuſum leuiter ſublustrant:non ita,ut alia item poſſent uideri, ſed ut ſola ſe uendicẽt à tenebris. Atq; hoc facit exilitas portionis eius, è qua proficiſcitur manatq; lumen. Nam & ipſe quoq; ignis, quamuis ſplendorem ſuum latius & diffuſius mittat,adeò ut aſſerat etiam alia:tamen ſi remotior ſit, caligãt oculi in cætera,ipſe ad conſpectum ſui uix ſufficit. *Ex Celij Lectionum antiquarum lib. 15. cap. 5.*

Lapilli noctu lucentis inſtar flammæ,quem in Heraclei dis mulieris Tarentinæ ſinum ciconia deiecerit, beneficij mercedem, quòd crure fracto ex lapſu anno ſuperiore ab ea curata fuiſſet, meminit Aelianus de animalibus lib. 8. cap. 21.

Solaris eſt lapis qui Solis oculus appellatur, figurã habens pupillæ, ex qua lumen emicat. item carbunculus nocte rutilans,ut ſcribit Marſilius Ficinus.

Lucerna piſcis marinus, qui & miluus,nomen tulit quòd noctu luceat. ego eius mortui etiam oculos noctu in tenebris lucere obſeruaui. Recentiores quidam harengæ etiam uulgò dicti piſcis oculos noctu lucidos eſſe tradunt.

Sed hoc pluribus. ...ſan piſcibus commune eſt. Oppianus lib. 2. Halieut...icôn de delphinis, φλογόεντε σέλας πέμπουσιν ὀπ... πα... ὀξύτατον· καὶ πού τιν' ὑποπτήσσοντα χαράδραις, Καί τιν' ὑπὸ ψαμάθοις εἰλυμένον ἔδρακον ἰχθῦν. Latè patet id piſcium genus quod à cute noctu ſplendente Græci uocant σελάχη. Eorum alij longi ſunt, ut muſtelli & canes: alij uerò lati.

Quòd animalium nonnullorum oculi noctu mirè ſint efficaces, interdiu autem hebetiores, id obuenire Plutarchus arbitratur humoris ſiccitate ac tenuitate: non ferentis τὴν πρὸς τὸ φῶς σύγκρασιν, Cælius Rhodig. Ex ijs ſanè quæ noctu etiam cernunt animalibus, nonnullorum oculis noctu lucent ac micant, ceu felium: quod in ijs fortè talis quidam humor ſit, qualis in uermibus noctilucis: cuius gratia uidere poſſunt non tamen remota, ſed proxima quæq; tantum. atq; hinc conijcimus interdiu quidem uidendi facultatis rationem in omnibus eandem eſſe, imaginibus rerum per lumen & diaphanum externum ad oculos relatis: noctu uerò non eandem, quum illa quæ noctu uident, quorumq; oculi lucent, non foris tum recipiant lumen, ſed ex ſeſe emittant ut uiſibilia actu uideantur. Cernunt autem noctu quæ noctuæ dicuntur, & ſimiles nocturnæ aues: & in quadrupedum genere lupi, capræ, feles.

Volucris eſt, rarò tamē, in Hercynia apparens. ſunt qui ſe uidiſſe iactent, pennæ eius noctu, ut ignis, lucent. Meminit Plinius. Pictam uidit Io. Auentinus. Nos plura de ea in Auium hiſtoria.

De nocturno Luporum uiſu meminit AElianus de animalib. lib. 10. cap. 26. Hyænā quoq; noctu cernere nō deſunt authores: & uulgò equi, quorum glauci (uitreos noſtri dicunt) fuerint oculi, nocturna inſignes uiſus acie creduntur. Capræ oculos in tenebris ſplendere, lucemq; iaculari, author eſt Plinius. Conditos in homine oculos (inquit idem) clariſsimè cernere putāt, ſicut in colore caprinos. Gaza ex Ariſtotele quem ille αἰγωπὸν colorem dixerat, caprinum tranſtulit: uocat eundem οἰνωπὸν in Phyſiognomonicis.

gnomonicis. Nos de his alijsq́ coloribus plura in libello quem priuatim de coloribus meditamur.

Pygolãpis, quã Latinorũ aliqui cicindelam uel nitedulam uocant, Itali biſſola fuogola uel luſaruola, genus eſt inſecti uaginipennis exigui, ut audio, (neq́ enim uidere memini) quod noctu lucet. Apud nos uerò uermis eſt, erucæ ſimilis, qui eadem parte noctu fulgorem tam clarum emittit, ut ad illum etiam literæ maiuſculæ legi poſsint. Hæc igitur naturæ ſunt opera: ſupereſt ut arte etiam ſplendores nocturnos ex huiuſmodi igne æthereo fieri poſſe oſtendatur: quod recitanda hiſtoria præſtabo. Patauij in Italia noſtro ſeculo repertum eſt monumentum uetuſtiſsimum, nempe urna fictilis cum inſcriptione huius hexaſtichi:

Plutoni ſacrum munus ne attingite fures,
Ignotum eſt vobis hoc quod in vrna latet.
Nanque elementa graui clauſit digeſta labore
Vaſe ſub hoc modico Maximus Olibius.
Adſit fœcundo cuſtos ſibi copia cornu,
Ne pretium tanti depereat laticis.

Intra hanc urnam erat altera urnula, inſcripta, Maxumus maxumo Plutoni hoc ſacrum facit. Rurſus intra hãc urnulam reperta eſt lucerna adhuc ardens intra duas ampullas, alteram ex auro, alteram ex argento, puriſsimo liquore quodam plenas, cuius uirtute creditur per multos annos lucernam hanc arſiſſe. Authores ſunt poſt Hermolaum Barbarum, Petrus Apianus & Bartolemæus Amantius. Eſt & cœleſtis aqua (inquit Hermolaus) ſiue potius diuina, chymiſtarum, quam & Democritus & Mercurius Triſmegiſtus nouêre, modo diuinam aquam, modo Scythicum laticem appellantes, modo pneûma, hoc eſt ſpiritum ex ætheris natura & eſſentia rerum quinta: unde aurum poculentum, & iactatus ille necdum inuentus philoſophorum lapis. Hoc genus laticis, ut arbitror, ſignificat epigramma nuperrimè in agro Patauino iuxta oppidulum Ateſtæ inuentum, &c.

Quòd ſi quæ herbæ noctu lucent, uel radijs Lunæ ad aliquam in eis læuem ac ſplendidam & ſpeculi inſtar partē refractis lucebunt, ſicuti etiam meteora quædam, quæ uel die inter nubes, ut irides, parelij, areæ: uel noctu in ſummo & igneæ naturæ aëre ſpectantur, ut hiatus, foueæ, & colores ſanguinei. Aut ita lucebunt, ut ſquammæ uel oculi piſcium, ut ligna putrida, & huiuſmodi uehementer ſicca, et ut pygolampides: hoc eſt, luce aliqua ipſis propria, non ignea tamen illa nec æſtuante. Fieri poteſt etiam ut non ipſæ herbæ luceāt, ſed qui circa ipſas eſt aër, aut potius uapor, ſiue proprius quibuſdam locis, ſiue ab herbis illis exhalans, ſiue tanquam alimētum aut aliter ab eis attractus. Facile enim halitus quidam. †Apud nos, ubi zetarum uel hypocauſtorum (ut uulgò improprie nominant) uſus eſt: multis contingit, poſtquam ad fornacem amplius incaluerunt, ut mox in cubiculum egreſsi frigidum, dum induſium exuunt, aut mouent & concutiunt exutum, flāmam inde & uideant, & crepitantem audiant. Concipiunt nimirum ueſtes interiores, fumos & exhalationes corporū, easq́ pingues, quæ & facilius retinentur (hyeme præſertim denſis et multis ueſtibus) & inflammari idoneæ ſunt. hæ deinde iam actu calidæ, & in frigido loco commotæ, cum in frigidum aërem diſpergi nolint, magisq́ uniantur per antiperiſtaſin, motu accedente ardent. Motus enim res pleraſq́ è potentia in actum producit. Sic pili equorum in ſtabulis dum ſtrigile raduntur, igneum aliquando ſplēdorem reddunt: & felium quæ ad fornaces uel ignem incaluêre, ſi manu aduerſa pertrectentur.

†Verſus quoſdam hic omiſſos, in fine libri inuenies.

DE STELLIS CASTORIBVS.

Plin. de hiſtoria mundi lib. 2. ca. 37.

Exiſtunt ſtellæ (inquit Plinius) & in mari terriſq́. Vidi nocturnis militum uigilijs, inhærere pilis pro uallo fulgorem effigie ea, (*id eſt effigie ſtellæ:*) & antennis nauigantium, alijsq́ nauium partibus, ceu uocali quodam ſono (*impropriè vocalem ſonum dicit, quem volaturæ aut volantes aues ſuis alis reddunt*) inſiſtunt, ut uolucres ſedem ex ſe demutan-

tantes: graues cum ſolitarię uenêre, mergentésque nauigia: & ſi in carinæ ima deciderint, exurentes. Geminæ autem ſalutares, & proſperi curſus prænunciæ: quarum aduentu fugari diram illam ac minacem, appellatamq; Helenã ferunt. Et ob id Polluci & Caſtori id numen aſsignant, eosq; in mari deos inuocant. Hominum quoq; capita ueſpertinis horis magno præſagio circumfulgẽt. Omnia incerta ratione, & in naturę maieſtate abdita, Hęc ille. Quibus & Iacobi Milichij ex Cõmentarijs uerba adſcribam, Græci hoc Meteoron πολυδεύκεια (fortè πολυδεύκειας, multitudinis enim numero duos fratres, aliâs Polydeuceas, aliâs Caſtores nominant) uocant. Latini Caſtorem & Pollucem, recentiores ignem præcedentem & ſequentem. Fit autem hic ignis in infima aëris regione, ex fumo pinguiore ac inflãmabili, qui frigiditate aëris nocturni cogitur atque denſatur. Incenditur autem ex concurſu duarum contrariarum qualitatum, quæ inter ſe pugnant. Vapor enim calidus eſt, & aër nocturnus frigidus. Concurrunt autem tantiſper, donec hac agitatione uapor incendatur. Figitur autem pilis antennís ue nauium propter eius grauitatem, ubi tantiſper hæret, donec incendij materia fuerit abſumpta, Hæc Milichius. Quòd ſi (ut ipſe opinor, & eruditorũ plerique) per antiperiſtaſin hæ flammæ ardent, non ex concurſu duarum qualitatum, eas oriri propriè dicemus: neq; enim inter ſeſe utrinq; obuiæ tanquam aperto Marte concurrũt: ſed fugit ceditq; intra ſe altera, minus minusq; loci ſubinde occupans, urgente undiquaq; & obſidente eã foris altera tanquã hoſte. Sic erinaceus nó concurrit cũ uulpe, quòd ſe infirmiorem ſentiat, ſed in globum contractus ſuis munitur aculeis. Et exhalatio incluſa, ſua iam denſitudine tutior eſt. Inflãmatur uerò motu externo, ut ferrum impulſum ad ſilicem licet quieſcentem, ſcintillas elicit. Scio Laur. Vallam reprehendere Ariſtotelem, qui motum calfacere & incendere dixerit, quem ipſe refrigerationis potiùs cauſam eſſe arbitratur. Sed hac de re diſſerendi argumentum noſtro inſtituto non conuenit, etiamſi contra

Milichius *Motionis natura.*

Vallam, uirum quidem bonum & eruditum, ſed literatorem potiùs quàm philoſophum, multas firmasq́ ration adferre poſſem. Hoc in præſentia cum Ariſtotele dixerin ὅτι ἡ κίνησις φύσει ἐκστατικόν: hoc eſt motionis omnis eam eſſe naturam, ut rem quæ mouetur è ſtatu priſtino dimoueat ac deturbet. itaq; calida refrigerat, frigida calefacit: & ea quæ potentia erant plærunq; (ſi nihil impediat, & naturalis non uiolentus ſit motus) in actum & perfectionem ſuam deducit. exhalationis autem calidæ ſiccæq́ actus & perfectio eſt ignis. Ad Caſtores (ſiue mauis Polluces) redeo: quorum & Seneca meminit, cum ait: In magna tempeſtate apparent quaſi ſtellæ uelo inſidentes: adiuuari ſe tunc periclitantes exiſtimant Pollucis & Caſtoris numine. Cauſa autem melioris ſpei eſt, quòd iam apparet frangi tempeſtatem & deſinere uentos. Aliquando non feruntur ignes, ſed ſedent. Gylippo Syracuſas petēti uiſa eſt ſtella ſuper ipſam lanceam conſtitiſſe. In Romanorum caſtris uiſa ſunt ardere pila, ignibus ſcilicet in illa delapſis, qui ſæpe fulminum modo animalia ferire ſolent, & arbuſta: & ſi minore ui mittantur, defluunt tantum & inſidunt, non feriunt, nec uulnerant. Meminit & Propertius cū ait, Cernere & optatos quęrere Tyndaridas, Candida fœlici ſolvite uela toro. dixit autem felici toro, quia ſolitarius hic ignis exitialis eſt, & appellatur Helena. Plutarchus in uita Lyſandri ait, Caſtorem & Pollucem in Lyſandri naue utraque ex parte extitiſſe, & quo tempore portū erumperet, ſydera clauo circumluxiſſe. Eſt & alia ſpecies huius ignis qui appellatur ignis lambens capita (*recentioribus: alijs ſimpliciter lambens, id eſt, non vrens. flammæ quidē veluti linguæ quædam apparēt: videtur autem imitatione metaphoræ à Vergilio vſurpatæ ſuper eodem igne, ſic nominaſſe*) cuius meminit Liuius libro 1. de Seruio Tullo. Eo tempore in regia prodigium uiſum, euentuq́ mirabile fuit: puero dormienti, cui Seruio Tullo nomen fuit, caput arſiſſe fertur multorum in conſpectu, &c. Item Ouidius 6. Faſtorum.

Seneca Natural. quæſtionū lib. 1. cap. 1.

Propertius.

Helena.

Plutarch.

Ignis lambens.

Sic Aene. 3. Attollit globos flammarum & ſydera lambit.

Liuius.

Ouidius.

Signa dedit genitor tunc, cum caput igne coruſco

Con-

Contigit, inq; comis flammeus arſit apex.

Item Vergilius lib. 2. *Vergilius.*

Cum ſubitum, dictuq; oritur mirabile monſtrum.
Nanq; manus inter, mœſtorumq; ora parentum,
Ecce leuis ſummo de vertice viſus Iuli
Fundere lumen apex, tactuq; innoxia molli
Lambere flamma comas, & circum tempora paſci.

Prodigium hoc aiunt ſignificaſſe regem fore Aſcanium. Cum Tarquinius Priſcus (inquit Seruius) cepiſſet Ocriculanam ciuitatem, ex captiua quadam in domo eius natus eſt Seruius Tullus: qui cum obdormiſſet, caput eius ſubitò flamma corripuit: quam quum uellent reſtinguere, Tanaquil regis uxor auguriorum perita intelligens auguriũ, prohibuit. flamma puerum cum ſomno deſeruit. unde intellexit eum clarum fore uſq; ad ultimum uitæ. Tarquinio Priſco regnante, tradũt repente in foco apparuiſſe genitale ex cinere, maſculini ſexus, eamq; quæ ibi inſederat Tanaquilis reginæ ancillam Ocriſiam captiuam, conſurrexiſſe grauidam, unde Seruius Tullus VI. rex Romanorũ Seruius Tullus natus eſt: cui deinde in regia cubãti caput ardere uiſum eſt, creditusq; Laris familiaris filius. ob id Compitalia & ludos Laribus primus inſtituit, Plinius. Caſtores (inquit L. G. Gyraldus) ſub forma duorum fratrum effingebantur, robuſti, formoſi, pileati. Supra caput flammam igneam etiam habere uidentur, qualem eis apparuiſſe canit Orpheus. Apuleius caſsides in capite geſtare ſcribit, ſtellarum apicibus inſignes. Et rurſus, Scribit Orpheus in Argonauticis, quòd cũ eſſent Argonautæ tẽpeſtate & procellis agitati, arrepta lyra ſe tum cantare cœpiſſe: quo cantu mare pacatum, igneumq; ſplendorem ſupra Caſtoris & Pollucis capita affulſiſſe: quod & Valerius Flaccus repetit. Iouem enim ita in primo inducit:

Seruius. *Plinius in fine lib. 36.*

Dixit, & ingenti flammantem nubila ſulco
Direxit per inane facem, quæ puppe propinqua
In bifidum diſceßit iter, fratresq; petiuit

Tyndareos, placida & medijs in frontibus hæſit
Protinus amborum, lumenq; innoxia fudit
Purpureum, miſeris olim implorabile nautis.

Concionanti Martio in Hiſpania flammam à uertice atq; humeris micuiſſe legimus. Fatuum proprie dicimus cibum inſulſum atq; inſipidum, ut Martialis fatuas betas dixit. Hinc & homines inſipientes, & in quorum ſermone nihil ſit ſalis, fatui appellãtur. Fatuus eſt, inſulſus, tardus, Terentius. Donatus & Varro ita diſtinguunt, ut fatuus (tanquam à fando) in uerbis & dictis accipiatur, inſulſus uerò corde & animo. Sed & ignem fatuum dixerunt recentiores quidam, ipſi quoque circa latinum ſermonem fatui ac ignari. Ignis fatuus (inquit Ioan. Velcurio) non adurit quidem, ſed præcedens aut ſequens aliquem in aëre diutius perdurat: quale Meteoron Plinius Caſtorem & Pollucem nominat. quod ambulantes, noctu præcipuè, uel equitantes aut nauigantes ſæpe præcedere aut ſequi uidetur, non ſine horrore aliquo. Talis eſt ferè etiam ignis lambens crines & pilos animantium, aut ueſtes quoq;. Atque huiuſmodi ignes innoxij crebriùs apparent ſupra loca humida, & fumoſa, atq; paluſtria, ut in cœmeterijs, coruis, coquinis, cõuallibus. nam illic eſt plus uiſcoſæ pinguedinis: unde ſurgit exhalatio denſior quidem, ſed minùs calida, quàm ut in ſupremam regionem aëris feratur, Hæc Velcurio.

Fatuus.
Inſulſus.
Ignis fatuus.

EX MARCI FRYTSCHII LAVBANI Meteorologia, Quæſtio Quî fiat quòd equorum auribus adhærere videantur ignita meteora: ac item capitibus nonnunquam, & humeris equitantium vel deambulantium?

Exhalationes diſperſæ per aërem adhærent pilis equorum, & ueſtibus hominum: ſiquidem ex leuitate ita aſcendunt, ac per antiperiſtaſin inflammantur. Idem hoc fit cũ homines & reliqua animantia, motu uehementiori caleſcunt. ſudor enim exit pinguis & uiſcoſus ab eorum corporibus, qui accenſus hanc formam refert. Sic eodem modo

do aut in cœmeterijs, coquinis, conuallibus, ſub patibulis & ubicunq; multa cadauera ſunt poſita, alijsq; locis humidis & uiſcoſis, atq; paluſtribus, apparent lumina ardentia. Ratio eſt, quia ijs in locis continuè terra exhalat fumos pingues, craſſos & uiſcoſos, qui proueniunt ex mortuorũ cadaueribus: & cum fumus ita continuè exeat, inflammatur per antiperiſtaſin, aut per colliſionem, ſicut ex duobus ſilicibus colliſis ignis elicitur. Ignis fatuus ſeu Candela ardens (inquit Fr. Titelmannus) eſt exhalatio ad infimam aëris regionem eleuata, & ibi per antiperiſtaſin incenſa: quæ dum quærit aſcendere ſurſum, à frigore mediæ regionis depellitur, & apparet quaſi ſaltãs, loca decliuiora quęrens, unde ad aquas ducit ſequentem. *Fr. Titelmannus.*

EX IVLII OBSEQVENTIS *Prodigiorum libro.*

Ignes cœleſtes multiphariam orti, leui afflatu complurium ueſtimenta aduſſerunt, M. Meſſala, C. Liuio Coſſ.

Anagniæ ſeruo tunica arſit, & intermortuo igne nullũ flammæ apparuit ueſtigium, P. Africano, C. Fuluio Coſſ.

Puer ingenuus Ariciæ flamma comprehenſus, nec ambuſtus. Capra cornibus ardentibus per urbem ducta, porta Næuia emiſſa, relictaq;, C. Mario, Q. Luctatio Coſſ.

Ad forum Eſij bouem flamma ex ipſius ore nata, non lęſit. Concij homo ex ſpeculo acie orta combuſtus: T. Graccho, M. Inuentio Coſſ.

Nocte cœlum ac terra ardere uiſum. P. Africano, & Lęlio Coſſ.

In æde Larum flamma à faſtigio ad ſummum columen penetrauit innoxia, P. Saranno, C. Attilio Coſſ.

Albanus mons noctu ardere uiſus, C. Cæcilio, Cn. Papyrio Coſſ.

In Gallia in caſtris lux nocte fulſit, C. Mario, Q. Luctatio Coſſ.

In Circo inter pila militum ignis fuſus. Q. Metello, Tullio Didio Coſſ.

Huc omnino pertinet ignis ille in vertice templi Vitoduri oppidi (quod itinere horarum quatuor à nobis diſtat) ſine detrimento viſus, dum hæc conderem, de quo vir clarus et fide dignus ad nos perſcripſit. Hoc anno Salutis noſtræ M. D. LVI. Ianuarij die quarto, hora ſeptima ueſpertina, id eſt quinta ante medium noctis, cum uentus eſſet uehemens, & ningeret, ignis in ſumma turri ædis ſacræ exarſit, ita crepantibus flammis, ut procul audiretur. qui hoc uiderunt, flammas ex aperto turris faſtigio emicare putabant. Ijdem ſcintillas ab hoc igne emiſſas proſilijſſe teſtantur. duraſſe ferè quadrantem horæ. Tandem cum æde reſerata aliqui ad extinguendum incendium turrim conſcenderent, aliquo uſq; progreſsi, lucerna (quam ferebant) extincta, nihil amplius ignis iam reſtincti deprehendere potuerunt. Poſtea rurſus quartodecimo die eiuſdem menſis, idem ignis eodem in loco hora quinta matutina (hoc eſt duabus ante diem horis) liquidò conſpectus eſt, cum ea nocte tonitrua, fulgura, & uenti uehementes præceſsiſſent. Multi autem & fide digni uiri, ex ſenatorum ac ciuium numero, oculati teſtes, alij primum de quo ſcripſimus, alij ſecundum ignem à ſe uiſum affirmant.

DE AGLAOPHOTIDE MARINA, QVAE ET *myrica marina dicitur, ex Æliani de hiſtoria animalium libro 14. cap. 24. vt nos è Græco codice manuſcripto tranſtulimus. Nos quidem Æliani omnia quæ extant Græcè Latineq́; è regione cudenda hoc tempore ſub prælo habemus, partim Latinè, partim Græcè non euulgata hactenus.*

Caniculæ & alia, maris alumna animalia, quibus audaciam natura inſeuit, cum ſummus per ęſtatem calor uiget, ad litora ſe recipiunt, & uerſus præcipitia natant, & expoſita fluctibus promontoria ſubeunt, & anguſtis profundisq; fretis ſeſe inſinuant. Refugiunt enim pelagus, & quæ in eo ſunt paſcua eo tempore negligunt. Naſcitur autem

ge-

genus quoddam algæ ſeu fuci (φυκόστι) in petris profundis, quæ magnitudine myricam, fructu papauer refert. Fructus reliquo anni tempore occluſus, ſolidusq́ꝫ, & oſtrei inſtar durus eſt. aperitur autem ab æſtiuo ſolſtitio, ut calyces roſarum, (quas etiam alabaſtros, & cum modicè dehiſcunt, nymphas dixerim.) Exterior pars fructus, nempe cruſta quædam ſiue membrana teſtæ uel oſtrei modo dura, & uiſu q̃ maximè flaua, interiorẽ, cui color cœruleus, ſubſtantia mollis, & tanq̃ ueſicæ inflatæ pellucida, ualli modo ambit ac munit. Ex hac (interiore parte) noxiũ ſtillat uenenum. Emittit autem noctu igneum quendam, & ueluti ſcintillantem ſplendorem : & oriente iam Sirio ueneni uehementia creſcit. quamobrem piſcatorum natio omnis, quæ pancynicum (*lego †cynoſpaſtum, vt infra quoque*) hanc ſtirpem appellat, à Canis ortu uenenum hoc gigni arbitrantur. Porrò Canes marini ad igneum iſtum in hac marina myrica floris ſplendorem, tanquam inopinati alicuius lucri ſpe allecti, ueneno partim aſperſi, partim deuorato, & branchijs etiam hauſto, extincti fluitant. Vnde his in rebus exercitati homines uenenum ſecundarium ex piſcium iſtorum tum ore, tum partibus cæteris colligunt. Simile malum ex terreſtri etiam aglaophotide eſt, de qua mox dicemus. *Hæc ille, qui paulo ante etiam de Hippocampo ſcripſerat, credi eum herba quædam marina venenoſa (ſiue hac, ſiue alia) paſci: & eam ob cauſam ventriculum eius venenatum eſſe.*

† Gillius cynoſphaſtum

EX EIVSDEM LIBRI CAPITE XXVII. *de aglaophotide terreſtri, quæ & cynoſpaſtus dicitur.*

Cynoſpaſtus herba alio nomine aglaophotis dicitur. hæc per diem inter cæteras herbas (à quibus ne minimum quidem differt) deliteſcit, nec ullo modo agnoſcitur: nocte uerò ſtellæ inſtar lucens, & igneo ſplẽdore coruſcans, facile in conſpectum uenit. itaq; ſigno ad radices eius defixo diſcedunt: abſq; eo neq; colorem eius interdiu, neque

ſpeciem cogrituri. Nocte iam exacta aduentant, & herbã ex ſigno agnoſcũt: euellere uerò, aut circunfodere tantũ, cauent. Primum enim qui eius naturæ imperitus eam attigit, perijſſe ferunt. Canem igitur iuuenem adducunt, diei

Hyoſcyamum etiã, & ὀπὸν (uidetur papauer nigrum intelligere) plantis circumfoßis et alligatis a= nibus, à quibuſdam euelli, Aelianus refert lib. 9. cap. 32. de animalib.

ſpatio famelicum, & funiculum ualidum arctiſsimè ad inferiorem herbæ ſtipitem uinctũ cani etiam alligant, & carnes aſſas multas ei obijciunt, quàm lõgiſsimè interim poſſunt recedentes. Canis nidore motus, impetu ad carnes fertur: & herbam radicitus eruit. cuius radices ſi Sol uiderit, canis mox expirat, & ſecretis quibuſdam ceremonijs, utpote in ipſorum gratiam extinctus, ſepelitur. Tum demum herbam contingere, & ſecum auferre audent. Vſus eius ad multa celebratur: & inter cętera aduerſus comitialem morbum remedium ex ea homini commendant. item ad oculorum uitium, quod delato in eos humore nimio, uidendi facultatem adimit. Hæc ex AEliano de aquatica & terreſtri aglaophotide ſcripſerim. Eſt autem hoc nomen græcum, à lucis ſplendore inditum. Apud Dioſcoridem inter pæoniæ nomenclaturas idem uocabulum inuenio. & ſanè ea pulcherrima herba eſt, nec tam pulchro nomine indigna, nullo tamẽ nocturno lumine nobilis. Plinius lib. 4. cap. 17. inter magicas herbas à Democrito proditas, aglaophôtin commemorat, quæ admiratione hominum propter eximium colorem acceperit nomen, in marmoribus Arabiæ naſcentem Perſico latere. qua de cauſa & marmaritin uocari. magos utiq; ea uti cum uelint deos euocare.

RVRSVS DE AGLAOPHOTIDE, QVAM Ioſephus in Belli Iudaici hiſtoria libro 7. cap. 25. Baaras appellat.

Vallis (inquit Ioſephus) qua ciuitas Machærûs à parte Septentrionali cingitur, quidam locus Baaras appellatur, ubi radix eodem nomine gignitur: quæ flammæ quidem aſsimilis eſt colore, circa ueſperam uerò ueluti iubare fulgurans, accedentibus eamq; euellere cupientibus facilis

non

non eſt.ſed tamdiu refugit, nec prius manet, quàm ſi quis urinam muliebrem uel menſtruum ſanguinem ſuper eam fundit (*Aſphaltum quoque aiunt cum è lacu Aſphaltite educitur non aliter diſiungi ac ſeparari poſſe, quàm mulieris menſtruo ſanguine aut vrina. & locum in quo baaras creſcit, aſphalto abundare probabile eſt, cum Aſphaltites etiam lacus propè ſit.*) quin etiam tunc, ſi quis eam tetigerit, mors certa eſt, niſi fortè illam ipſam radicem ferat de manu pendentem. Capitur autem alio quoq; modo ſine periculo, qui talis eſt. Totam eam circunfodiunt, ita ut minimum ex radice terra ſit conditum, deinde ab ea religant canem. illoq; ſequi eum à quo religatus eſt cupiente, radix quidem facile euellitur, canis uerò continuò moritur, tanquam eius uice à quo herba tollenda erat traditus. Nullus enim poſtea accipientibus metus eſt. Tantis autem periculis propter unam uim capi eam operæpretium eſt. Nam quæ uocantur dæmonia, peſſimorum hominum ſpiritus, uiuis immerſa, eosq; necantia, quibus ſubuentum non fuerit, hæc citò, etiamſi tantũmodo admoueatur ęgrotantibus, abigit. Fluunt autem ex eo loco aquarum fontes etiam calidarum, &c. Hæc Ioſephus: uidetur autem Baaras nomen ab Hebraico uerbo baar factum, quod ardere ſignificat: quòd & aquæ feruidę eo in loco ſint, & herba nocturno ſplẽdore ueluti ardeat.

DE ALIIS HERBIS MAGICIS QVARVM *mentionem facit Plinius lib. 24. cap. 17. quæ Lunariјs vel noctu lucentibus herbis adnumerandæ videntur.*

A Pythagora Aproxis appellatˢ herba, cuius radix è lõginquo concipiat ignes, ut naphtha. Idẽ tradit ſi qui morbi humano corpori acciderint florente aproxi, quamuis ſanatos, admonitionem eorum ſentire, quoties florere eã contigerit: & frumentum, & cicutam, & uiolam, ſimilem conditionem habere. *Aproxis.*

ARIANIDEM Democritus tradit in Arianis gigni, igneam colore, colligi cum Sol in Leone ſit. Huius tactu *Arianis.*

perunćta oleo ligna accendi.

Thalaſſegle. *Potamaûtis.* THALASSEGLEN idem author eſt circa Indum amnem inueniri, quæ ob id nomine alio potamaûtis appellatur. hac pota lymphari homines obuerſantibus miraculis. Hæc fortè aglaophôtis aquatica AEliani fuerit, utpote ſimiliter uenenoſa, & ut ex nomine conijci poteſt ſimiliter in aquis lucens. nam ſi Græcè ſcribas thalaſſægle (per æ diphthongum in penultima) marinus ſplendor intelligitur: & ſi Potamaugis (potius per g. quam per t. in ultima) fluuiatilis ſplendor. *Θαλασσαίγλη.* *Ποταμαῦγις.*

Herba upupæ. VETVSTAM parietis rimam, in qua forte pepererat upupa cum quidam luto expleſſet, upupa rediens, & latebram ſuam clauſam uidens, herbam attulit, qua ad lutum admota, diſſolutum eſt lutum, & defluxit. Deinde cũ rurſus ad inquirenda cibaria euolaſſet, homo ille iterum parietis cauernam oblinens obſtruxit. auis uerò eadem ipſa herba rimam aperuit. idq; cum tertio repetitum eſſet, parietis curator, herba illa è luto ſublata, ad reſignandos theſauros alienos herba illa utebatur, AElianus. Si quis *Herba pici* lapide (aut ligno) immiſſo foramen nidi pico obſtruxerit, ille herbam lapidi contrariam affert, eamq; contra lapidẽ ponit. lapis uelut offenſus, & non facile ferens uim herbę, exilit, Idem & Oppianus. Hanc herbam qui nouit nullo negotio ianuarum etiam ſeras reſoluet, Kiranides. Adacto cauernis picorum à paſtore cuneo, admota quadam herba ab his, elabi creditur uulgò. Trebius auctor eſt, clauum cuneúmue adactum quanta libeat ui arbori, in qua nidum habeat, ſtatim exilire cum crepitu arboris, cum inſederit clauo aut cuneo, Plinius. Sunt qui hodiéq;, ruſtici præſertim & de plebe homines, talia de pici herba nugentur. Plinius alicubi, AEthiopidis herbæ tactu (inquit) clauſa omnia aperiri, amnes ac ſtagna ſiccari cõiectu, ſcripſerunt. Et lib. 14. cap. 17. AEthiopida in Meroê naſci Democritus tradit. ob id Meroidem appellari, folio lactucæ, hydropicis utiliſsimam è mulſo potam. In prologo libri 27. Romanæ pacis maieſtati deberi ſcribit, quòd Britannica *AEthiopis herba.*

tarnica ex Oceanis inſulis, Aethiopis ab exuſto ſyderibus axe portetur. Et libro 17. cap. 4. AEthiopis (inquit) folia habet phlomo ſimilia: magna & multa, & hirſuta ab radice. caulem quadrangulum, ſcabrum, ſimilem arcio, multis concauum alis: ſemen eruo ſimile, cādidum, geminum: radices numeroſas, longas, plenas, molles, glutinoſas guſtu. Siccæ nigreſcūt, duranturq́; ut cornua uideri poſsint. Præter Aethiopiam naſcitur & in Ida mōte Troadis, & in Meſſenia, &c. Similiter fermè etiam Dioſcorides eam deſcribit. AEthiopidis folium Vlyſſes Aldrouandus doctiſſimus Bononienſis medicus ad nos miſit candidum molle & tomentoſum omnino, unde cotonariam circa Montepeſſulum uocant. integræ herbę iconem Matthæolus Senenſis exhibuit in ſuis in Dioſcoridem commentarijs, lib. 4. cap. 100. quæ tamen diuerſa uidetur, ab ea cuius folium Aldrouādus miſit, cum folia ſine petiolis cauli adhęreant.

NYCTEGRETVM inter pauca miratus eſt Democritus, coloris ignei, folijs ſpinæ, nec à terra ſe attollentē: præcipuā in Gedroſia narrat. erui poſt æquinoctium uernum radicitus, ſiccariq́; ad Lunam triginta diebus, ita lucere noctibus. Magos Parthorumq́; reges uti hac herba ad uota ſuſcipienda. Eādem uocari chenomychon, quoniam anſeres à primo conſpectu eius expaueſcant: ab alijs nyctilopa, quoniam è longinquo noctibus fulgeat, Plinius 21. 11. Sunt qui hanc eſſe cenſeant quam chymiſtæ lunariam nūcupant, noctibus cum Luna lucentem. Ruellius. *Chenomychos. Nyctilops.*

SYLuaticus Pandectarum rhapſodus, uocabula barbara Sapaon, Fuxa & Gemul, diuerſis in locis lunarias interpretatur, nec aliud addit.

IN Apæſanto monte iuxta Inachum fluuium Argiuæ regionis herba Σελήνη, id eſt, Luna prouenit: à qua manante ſpuma paſtores initio uêris collecta pedes illinunt, & à ſerpentibus tuti degunt, Plutarchus in libro de fluuijs. Creditur quidem Luna humorem quendam ueluti ſpumam aut ſaliuam in terras demittere: unde & aphroſele-

non lapidem dictum putârim, qui propter candorem uidetur tanquam ex ſpuma concretus: nã & comitialis cauſa refertur ad Lunam, quo concidentes ſpumam ore emittunt. quare & Lunaticos appellant. Vide Orpheũ in prologo. de lapidibus.

SELENITES apud Dioſcoridem inter chamæciſsi herbæ nomina eſt.

DE LVNARIIS DIVERSIS EX RECENtioribus, nobis incognitis.

STELLAM terræ nonnulli herbam uocant, quę uulgò *Lunaria* dicitur, folliculo rotundo ſemina includẽtem. Is noctu aperitur, & adeò radios Lunæ recipit, ut lucens ſtella uideatur. Loci incolæ ubi uident, ceu ſpectrum maleficum fuga declinant. Hac ueneficia quidam parant, hac dæmones irritant, hac chymiſtæ ſuum Mercurium fixum ſtabilemq́; reddunt, Braſauolus. Videt̃ autem de ea ſentire, quam nos infra Lunariam Græcam nominabimus. Amatus Luſitanus hanc herbã (Braſauoli enim uerba trãſcribit) Dioſcoridis dorycniũ facit, nulla ad hanc rem ne cõiectura quidẽ ꝓbabili ex uirib⁹ aut deſcriptione allata.

EX Libro manuſcripto incerti authoris. Lunaria emicat in montibus humidis, in quibus multæ fontium uenę ſcaturiunt. Caule uiſitur procero & rubente, anguloſo, nigris aſperſo maculis. folia inſtar Lunę orbis aut numi alicuius rotunda ſunt, aut ſampſuchi folijs ſimilia. flos luteus odor moſchi. mari folia minora, fœminæ maiora ſunt. Chymiſtæ facultatem ferè eandem, quam chelidonio, ei attribuunt Metalla omnia ui eius in Solem & Lunam conuerti pollicentur. Noctibus lucere aiunt creſcente Luna. Succum de floribus mutare Mercurium in ueram Lunam: ſuccum uerò radicis ad mutationem in Solem conducere. colligi oportere æſtate pridie diui Ioannis Baptiſtæ, Luna plena, ante ortum Solis. creſcit enim (aiunt) & decreſcit cum Luna. Aliqui hanc herbam goriſſam nominant, alij marthagon (*Italis martagon eſt genus lilij montani floribus*

pur-

purpureis, bulbo radicis luteo) portulacam, hypericon, perforatam maiorem. Præſtat eadem quæ balſamum. (*Vulgò perforatæ uel hyperico vel androſæmo hæc adſcribunt. cui etiam ex deſcriptione hac quædam conueniunt, quædam non conueniunt.*) Diſſoluit incantationes, fugat dęmones, feras omnes cicurat. Venenum ea præſente nullum nocet. Spiritus per eam in ampulla includi poteſt adhibitis ritibus magicis, (*hoc quidem per quamlibet herbam fieri poſſet, non ipſius ſed impiæ ſuperſtitionis vi.*) Lepram, omnia hydropis genera, & oẽs oculorũ affectus curat. itẽ uulnera, febres, & omne genus morborum. Seras & clauſuras aperit. Portantis libidinem immodicè accendit. Si cum ſucco de caule eius Mercurium feruefacias, in lapidem rubentem conuertetur: qui tritus argentum in aurum optimum tranſmutat. Folia quoq; arida trita ſuper Mercurium coniecta, aurum ex eo præſtantiſsimum faciunt. Venerem quoq; in Lunam permutant, Hæc ex libro manuſcripto. Apparet autem chymiſtas qui huiuſmodi primò ſcripſerũt, & poſteros etiam qui eis crediderunt, uel omnino imperitos fuiſſe homines, qui facile ac temere aliorum fabulis fidem habuerint, & portentoſas herbarum deſcriptiones, quæ nuſquam in rerum natura extant, protulerint: uel inuolucris & ænigmatibus huiuſmodi deſcriptionum, non plantas ullas, ſed res longè diuerſas ſignificaſſe: ut chelidonij uel elydrij nomine, neſcio quam quintam eſſentiam uel lapidem philoſophorum. Pleriq; ſanè noſtri temporis chymiſtæ, qui argenti auri ue ex alijs metallis mutationem quærunt, homines ut prorſus indocti ac imperiti ſunt, ita ſuperſtitioſi & impij, & dæmonibus aſtricti. qualem Theophraſtũ Paracelſum fuiſſe audio, & quoſdã adhuc eius diſcipulos, & alios paſſim complures. Quanquam non dubito multos etiam bonos & ſimplices homines, ab illis circumueniri, ut nugas illorum aliquid eſſe credant, cum egregiè ſint loquaces, & tanquam ipſos naturæ abditiſsimos fontes rimati, de maximis & ſecretiſsimis in natura rebus diſſerant, aureos deniq; polliceantur montes, ipſi interim Codro & Iro pau

Contra chymiſtas.

periores. Hi multis etiam principibus uiris perſuadent & imponunt: multis mediocribus & eruditis quoq;, ut tempus & rem circa fumum, fimumq́; & carbones inſumant. Hoc uerè eſt fumos uēditare. Horum aliqui etiam uirgulæ diuinæ indicio metalla in terræ uiſceribus abdita rimātur, non ſine dæmonis (ut ego mihi perſuadeo) uirgā deprimentis auxilio. Fures aiunt fruſtra hoc tentare, adulterium non obſtare, quam ſimiliter opinionem animis ipſoſum à cacodęmone impreſſam crediderim. Quis enim uir bonus non malit ſibi rem utcunq; pretioſam furto auferri, quàm corrumpi adulterio & alienari, animæ dimidium ſuæ uxorem? cuius uiolata ſemel pudicitia, recuperari nō poteſt, cum amiſſæ pecuniæ iactura ſarciatur facile. Hi cū pecuniam & diuitias ſibi finem bonorum & ſummam fœlicitatis propoſuerint, neque illas in carbonibus & fumis ſuis ut ſperabant inueniant, ad medicinam ſe conuertunt: neq; unius aut paucorum morborum promittunt ſanationem: ſed omnino aduerſus omnes morbos remedia fœliciſsima & efficaciſsima, & ſanis uitæ longæuitatem pollicētur. Hippocratem & Galenum, & medicos omnes qui methodum ullam profiteantur contemnunt & calumniātur. Horum magnificis promiſsis uulgus & imperiti delectantur ac irretiuntur, maximo quidem multi ſuo malo. Olea & liquores, ex metallis & aliunde ui ignis abſtrahūt, uehementiſsima remedia, quibus abſq; ratione, nullo eorum unde ſua medendi indicia legitimi medici deſumūt, reſpectu habito. Fateor chymiſticam artem habere egregia quædam & utilia, quibus ars medica ferè hactenus caruit, ſed ea cum planè uehementia ſint, & nulla ratione ab illis uſurpentur, non raró maxima uitæ humanæ damna inferunt. Quamobrem ſi cui ſua uita curæ eſt, hos impoſtores & irrationalem eorum medendi rationem declinabit. Sed relinquamus hoc hominum genus, & reliqua huius inſtituti perſequamur: in quibus ſi quid uanum aut magicum occurret, non id à me probari, neque ex propoſito, ſed obiter, & dū meliora inquiro, referri, lector intelligat.

HO-

HOLItha, ſi bene memini, in Morauia uel propè naſci fertur, rara quædam herba, & ſpiritus malignos, ſi quis credat, repellens, quod & de Lunarijs fabulantur.

SVNT qui Lunariam nunquam à ſe uiſam, deſideratam uerò magnopere, his uerbis nobis depingunt. Creſcit hæc herba in excelſis montibus ad Orientem, parua & humilis admodum folijs & ſpecie lauandulæ uel hyſſopo non diſsimilis, conferta, multis brachiata ramulis. floſculis inter folia cœrulei coloris ornata, tãquam ſtellulis. Qui poſtquam Sol occidit per totam noctem lucét. radix croceo colore eſt, adeò ut etiam tingere poſsit. aliqui aſteriô & bubonion, alij argemonẽ eſſe putant. Prouenire aiunt, uel potius ſomniant, in monte quodam iuxta Claronam celebrem Heluetiæ pagum: & in monte diui Beati, & prope Lucernam: Iunio quærendam, florere Iulio. Alij deſcriptionem ex hac & præcedente confuſam adferunt: ut magna iſtorum hominum imperitia eſt. *Lunariæ alia deſcriptio.*

Herba profecto Lunaris à Mercurio tradita folijs cœruleis atq; rotundis, creſcente Luna unum quotidie producens folium, decreſcente deponens, annos utenti promittit Lunares, Marſilius Ficinus de uita cœlitus comparanda lib. 3. cap. 14. Hæc ſcripſeram cum amicus quidã tres alias deſcriptiones miſit, quas, ut accepi, ſubijciam. *De Glauci herba, qua guſtata factus eſt immortalis, vide Lexicon Phauorini.*

1. Lunaria in ſummis alpibus naſcitur prope fontes aut flumina: folia habet paruula, rotunda inſtar numuli ad amaraci ferè ſimilitudinem, cæſij uel cœrulei coloris. caulem rubrum habet & odoratum. radicem uero croceam, lunariaq; idcirco appellatur, quod ad Lunæ auctus, atque imminutiones creſcere ac decreſcere conſueuerit. totidemq; folia habere dicitur, quot Luna habeat dies, Hæc ex herbarij cuiuſdam ſchedis excerpta ſunt.

2. Lunaria habet caulem durum, & altum tribus cubitis, coloris cœrulei, multis nodis cinctum, & in quolibet nodo tria habet folia, ſpatiumq; inter nodos eſt trium digitorum.

3. Herba quædam habet radicem ſatis longam, dodran-

talem,in cuius principio naſcitur ramus,in medio alius,in fine ſiue capite altero radicis tertius ramus,uel caulis, qui crocei coloris ſunt:& cum Luna creſcit.Nam ipſa creſcẽte ſingulo quoq; die ſinguli rami duo cœrulea producũt folia parua,donec ad quintumdecimum Lunæ diem peruenerint, à quo tempore pariter decreſcunt ſingulis diebus ut creuerant.

Lunaria craſſula,uel Craſſula petrea. LVNAria quædam craſſula cognominatur,ad differentiam alterius lunariæ (*ſerpentinæ puto, de qua mox dicetur.*) Huic folia ſunt pinguiora & rotundiora,numorũ inſtar: eaq; recto deinceps ordine unum poſt aliud, herbæ ſtipiti utrinq; adhærent.ſtipes autem ualde tenuis & longus eſt, quare humi ſternitur. Hãc herbam inueni extra muros in foſsis Papiæ.Medetur mirè hernioſis arida trita,& cum pari piloſella,quotidie cochlearij mẽſura è iure aut uino pota,Author Additionum ad Pandectas Syluatici. Quærẽdum an hæc ſit herbula quæ in uallibus quorundam montium circa ſaxa naſcitur: plurimis in orbem folijs radiatis circa radicem, ſimilibus minori conſolidæ,ſed multo minoribus,circùm ſerratis,alioqui portulacæ non diſsimilibus futuris,craſsiuſculis,parte ſupina rubentibus.Floſculis paruis,& luteis ſi bene memini.Caule ſex aut ſeptem digitos longo.Conijcio autem eãdem eſſe quam inter acetabuli ſeu cotyledonis genera Mattthæolus pictam exhibuit lib.4 cap.88.mihi quidem in Sabaudiæ montanis reperta,Dioſcoridis paronychia aliquando uiſa eſt, etſi lunaria etiam arthritica,præſertim minor,mox deſcribenda, cum eiuſdem herbæ deſcriptione faciat,utriuis folia pepli (quibus folia paronychiæ Dioſcorides comparat) attribuerim potiùs quàm rutæ parietum uel ſaluiæ uitæ uulgò dictæ,quam pro paronychia Matthæolus pingit.

Pandectarum author cap.353. craſſulam minorem interpretatur uermicularem. Maior uerò (inquit) folia habet tenera & pinguia,in quorum ſuperficie eſt borra: utilis aduerſus combuſtionem ab igne:& ad ramicem puerorum, in quem uſum teruntur folia cum cymis oliuarum,

&

& axungia recenti. Inde expreſſus linteo ſuccus, cum pauco uino albo coquitur maſtiche & olibano admixtis ut fiat ungentum. Sed craſſula noſtra petræa, borræ ſiue lanuginis nihil habet.

SERPENTINA (inquit idem author Additionum ad Pandectas) herba folijs ſalicem refert, piloſa ab una parte. Oritur in pratis montiũ: & lucet nocte, ut uir quidam nobilis Mediolanenſis mihi tanquam rem ſecretiſsimam reuelauit. Curabat ille omnes coli & inteſtinorum dolores breui tempore, propinato cochlearis dimidio huius herbæ tritæ ex uino albo.

DE ALIIS QVIBVSDAM LVNARIIS *quas nouimus, etſi nullam earum noctu lucere obſeruatum nobis ſit.*

DE LVNARIA ARTHRITICA.

LVNARIAM in Sabaudia nominant herbam (aliqui ibidem Iulianam, & unam è lunariæ ſpeciebus faciũt) quam nos ut à cæteris diſtinguatur arthriticã cognominare uoluimus. Circa Bergomum in Italia folium montanũ nuncupãt. Noſtri, uel paſtores potius altiorum montium incolæ, ut Reginæ montis non procul Tugio, Flůblůmle/ hoc eſt floſculos rupium. (Quanquam & fruticem odoratum longè diuerſi generis, folijs oleæ, flore rubente, quo pro xylobalſamo quidam perperam utuntur, ab ijſdẽ rupium natalibus, Rote flůblůmen appellant. Sunt qui huius etiam generis ſpeciem flore rubeo inueniri mihi dixerint, in Grindelia ſylua ditionis Bernenſis, folijs minoribus & modicè crenatis.) Aliqui in montibus circa Atheſim, aut etiam Bauariæ (ni fallor) morſum diaboli uocant, Tüfels abbiß: eò quòd radix in fine præmorſa uideatur, ut in herba uulgari & paſsim in humidis pratis per autumnum florente, quam pleriq; morſum diaboli appellãt. Reperimus eam in pleriſq; Heluetiæ noſtræ, Valeſiæ & Sabaudiæ mõtibus, in ipſis rupib⁹ aut ſaxoſis locis: aliâs maiorẽ, ſolo ſci-



licet, lętiore, & inferiore montiũ loco : aliâs multò minorẽ, altiorib⁹ & ſiccioribus locis. Itaque folia in quibuſdam rotũda ferè ſunt, nec multò quã peplij aut eſulæ rotundæ maiora. In alijs oblonga, & duorum ferè digitorum latitudine & ſatis craſſa et carnoſa : margo etiam in alijs æqualis uidet, in alijs modicè inciſus aut fimbriatus. floſculi in ſummo cauliculo lutei uel pallidi, modo duo aut tres, modo cóplures, qui in hortis noſtris menſe Aprili & initio Maij florent, longè ſuauiſsimi odoris. Non decidunt folia, ſed circa caput radicis arida manent. Radix nigricat aut ſubruffa eſt, aliquando pollicaris craſſamento, & longitudine bipalmaris: ſed plerunque minor & breuior: intus alba, geniculata & in ſe confercta, odorata reſinoſo quodam, ſed grato odore : multis hirſuta fibris: acris, ſubaſtringens, terram ſapit. friabilis & mollis dum manditur, calami aromatici quadam ſimilitudinem. Vinum ſuo odore commendat. Gingiuas manducata,

cata, & dentium dolores, præſertim à defluxione frigida obortos, iuuare uidetur: & capiti frigido & partib9 neruoſis prodeſſe: ulcera putrida emendare. Sciſſuras quidē in cute hiantes uentorum, frigoris, aut alia quapiam iniuria, ſuccum eius inſtillatum breuiſsimè ſanare aiunt. Sed, ut paucis dicam, præſtat omnia quæ arthritica illa, quam primulam uêris appellant, Fuchſius uerbaſculum: ſed efficaciùs. Nam ſpecies hæc illius montana eſt, & per omnia eā refert, ut merito arthritica alpina dici poſsit. Calidam dixerim in ſecundi gradus fine, ſiccam initio tertij. In hortis quouis loco plātata, uiuácisſima eſt: nec facile perit etiāſi quis euulſam per unum aut alterum menſem reſeruet, antequam denuo terræ committat. minimum enim aquoſi & tenuis ſucci habet, multū uerò pinguis & reſinoſi, cuius gratia conſeruatur. Chirurgus quidā in Sabaudia qui loca montana nobiſcum inuiſebat, hanc herbam ſecum aridam gerebat, tanquam uiua & ſuo natali hærens ſolo, ſine hac in montibus deprehendi non poſſet, ſtultè perſuaſus.

Circa Bononiā auricula urſi nōminat̄, ut uir diligentiſsimus & principe inter uiros harum rerum notitia claros numerandus loco Vlyſſes Aldrouandus ad nos ſcripſit: *Vl. Aldrouandus.* Hanc (inquit idem) doctiſsimus Matthæolus Senenſis, Saniculam ſecundam uocauit in capite de ſymphyto. ſunt q̄ *Sanicula. 2* ſucco huius herbæ bonum in muliebri facie colorem fieri promittunt. Germani (inquit Matthæolus) plura ſaniculæ oſtendunt genera, quorum unum folium fert plātaginis magnitudine, ſed craſsiora, ueluti fabariæ uulgò uocatæ, lacinijs circùm magno artificio factis à natura, colore in album flaueſcente. Id genus copioſe naſcitur in agro Goritienſi, monte Saluatino. Hoc cæteris præferunt ad enterocelas, & thoracis uulnera, ſi quotidie in potu ſumatur: quin & ad alia uulnera, tam intus ſumptum, quàm exteriùs illitum, Hæc ille: nec dubium, quin omnino de noſtra Lunaria arthritica ſentiat. Empiricus quidam unguentum nobile, ad uaria ulcerum genera parat huiuſmodi: Lunariam arthriticam, ophiogloſſum Fuchſij *Vnguentū empiricum ad varia ulcera.*

(quam ego linguam ſiue lingulacam Plinij interpretor) & ſaniculæ alpinæ genus, nulli adhuc deſcriptum quod ſciam, folijs rotundis, carnoſis, crenatis: floſculis albis, quos inſperſa ſanguinea puncta decorant, à quibus ſaniculam guttatam nominari licebit: has inquam herbas in oleo coquit: & expreſſo addit, terebinthinæ reſinæ, bubulæ medullæ & ceræ, quantum ſatis uidetur. nonnihil etiam thuris & maſtiches: interdum & dialthæas unguenti, & ſi opus uideatur petrolei. Hinc unguentum omnino lene cóficitur. Varijs ulceribus etiam inueteratis ſanandis utile. eſt quando æruginis aliquid miſcet, cum ui maiore opus eſt: & ulceribus nimium humidis oleum de ligno iuniperi pariter illinit: & aliud in circuitu tumoris caloris ue amoliendi gratia.

DE ALIA LVNARIA, QVAM ALIQVI *Græcam cognominant, quidam Germanicè* Flitteren.

HERBAM hanc multi in Italia & Germania Lunariam uocant, alij Græcę cognomen addunt. Rembertus Dodonæus in ſuo de ſtirpium imaginibus & nomenclaturis libro uiolam latifoliam nominat. Herbarijs (inquit) bolbonac appellatur. Brabantis Penninckbloemen. Miſit illam ad me olim Marpurgo uir pereruditus Benedictus Martinus, qui nunc Bernæ bonas literas docet, Lunariæ nomine. Ego hactenus illam in hortis tantum uidi, ruri reperiſſe uſquã non memini. Seminũ eius nuper uir diligentiſſimus & de re herbaria optimè merit⁹ Ge. Ollingerus pharmacopola Norimbergenſis me participem fecit, Lunariæ Græcæ inſcriptione. Sunt autem latiuſcula, acria, & intra ſiliquas breues quidem, ſed bene latas, & planas, non teretes quales pleræq; ſunt ſiliquæ, neq; cauas: quæ ueluti laminis tenuiſsimis & candôre ſplendentibus conſtant. hæ fortè cum ad ſummam maturitatem ſiccitatemq; peruenerint, noctu uel lucent, uel lucẽtis Lunæ imaginem ſuperficie

Remb. Dodonæus.

cie



cie ſua læui &
ſplendida tan-
quam in ſpecu
lo reddunt, ſi-
cut & ſpecula-
ris lapis (quem
aliqui ſtellã ter
ræ nominãt, ut
Braſauolus re-
fert, propter lu
cem & ſplendẽ
tes radios) ut
inde Lunariæ
nomẽ herbę ſit
impoſitũ. Flo-
res (ni fallor)
ſubcœrulei ſũt
leucoiorũ ſpe-
cie: & reliqua
forma qualis re
præſentat. Cer-
tum eſt etiã in
Heluetia noſtra
creſcere, Loua-
nij audio Bul-
bonac uocari,
floribus purpureis, & in hortis ali. De hac etiam Io. Kẽt
mannus præſtantiſsimus Dreſdenſis medicus, in doctiſsi-
mis obſeruationibus ſuis hiſtoriæ ſtirpium rariorum, qua-
rum etiam icones fieri curauit, & mihi pro ſummo cando
re ſuo communicauit, ita ſcribit: Hanc plantã Patauij mi-
hi dedit Aloiſius Romanus ex horto medicorum, dixitq́;
ueram Lunariam eſſe, quod certis rationibus adductꝰ cre
do. Nominis cauſam inde colligo: folium, quod utrinque
folliculum in medio facit, & intra quod utrinq; ſemen cõ
tinetur, argenteo ſplendore nitet. Idem folium decidenti-

bus cum ſemine ex utraque parte pelliculis, diutiſsimè manet, & ſplendidũ illud ad Lunam maximè nitet, unde herba ipſa Lunariæ nomen non ſecus accepit, ac lapis ſpecularis, quem Græci ſeleniten id eſt Lunarem appellant. Huius herbæ in Hetruria aliam ſpeciem habent, quam Lunariam odoratam uocant. Miſenæ à me ſata creuit ex ſemine, & maiora folia maioresque folliculos quàm in Italia habuit: & ſecundo anno circa finem Martij protulit uiolaceum florem, & ſemen ferè fuſcum, Hæc Kentmannus. Lunaria odorata naſcitur paſsim in pratis alpinis, ut clariſsim' medicus Vlyſſes Aldrouandus ad nos ſcripſit, qui utriuſque etiam (quarum hîc meminimus) Lunariæ plantas ipſas ad nos dedit. Puto autem has duas herbas, unius generis proximi ſpecies eſſe, & magnitudine tantum odoreque differre. nam quantum ex aridis inſpectis colligo, odoratæ folium maius & hirſutius eſt: & ambitu magis ſerrato, neruis candidioribus diſtinctum, & qua pedi ſuo iungitur magis cauum: Vnius ſiliquæ breuiores rotũdioresque ſunt, alterius oblongæ.

Lapis ſpecularis.

Lunaria odorata, quã alij Lunariam Græcam maiorem nominant.

Remedium ex Lunaria quæ flores cœruleos habeat (eã eſſe puto de qua hîc agimus) aduerſus comitialem morbum experimentis probatum audio, quaſi quædam, ut Lunæ ad hunc morbum ſympathia, ita Lunariæ herbæ antipathia ſit. Aelianus etiam (ut retuli) aglaophôtin ſuam epilepticos liberare ſcribit: & Lunarem ſiue Selenitem lapidẽ Dioſcorides libro 5. cap. 100. Selenites lapis eſt (inquit) quem aliqui aphroſelenum uocauerunt, nomen inuenit » quòd per noctem ad incrementa luminum Lunæ plenus » reperiatur. Naſcitur in Arabia, colore candido, pellucid', » minimè ponderoſus. Dantur bibenda comitialibus ramẽ » ta eius. Eundem pro amuleto alligant ſibi mulieres, (*ad fœ* » *cunditatem fortè conciliandam, aut retinendum fœtum, cuius incre* » *mentis, vt etiam fœcunditati, Luna videtur præeſſe.*) Creditur & » arboribus appenſus fœcunditatem earum augere, Hæc Dioſcor. Porrò ubi Græcè legitur, *διὰ τὸ εὑρίσκεσθαι αὐτὸν νυκτὸς μεσὸν ἐν τῇ τῆς σελήνης παραυξήσει*, Matthæolus Senen. transfert,

Remedium ad comitialem.

Selenites lapis.

tranſfert. Quoniam noctu inuenitur Lunæ imaginem red
dere, quæ cũ ea quidem augetur & decreſcit, neſcio quàm
rectè. Inuenitur fortè hic lapis nõ tã facilè interdiu, quàm
nocte media & plena νυκτὸς μέσης, ad imaginem lunæ quam
reddit, ἐν τῇ τῆς σελήνης παραυγήσει aut παραυγάσει. nam αὐγεῖν
& αὐγάζειν ſplendere eſt. Res gypſo cognata lapis ſpecula- „
ris eſt. quod nomen quia perſpici poteſt, & rei quæ ab e- „
ius tergo eſt, imaginem reddit, ipſi à ſpeculo impoſitum. E „
Græcis quidam σεληνίτην appellant, quòd plena nocte ad „
incrementum Lunæ ſoleat inueniri. Vel quòd imaginem „
Lunæ, quam, quia pellucet, noctu concipit, in dies ſingu- „
los creſcentis minuentisq; numero reddat. Alij ἀφροσελη- „
νον uocant, quòd multis perſuaſum eſſet, ut abſurdiſsima „
quæque uulgo perſuaderi poſſunt, lunæ eſſe ſpumam. Ab „
Aëtio quòd transluceat διαφανὲς appellatur: & σφεκλάριον, „
uocabulo Latino, ſed corrupto. Ex Germanis quidã huic „
lapidi nomen poſuerunt glaciei, Vnſer frouwen yß. quòd „
ad eam candidę cruſtæ magnam ſimilitudinem habeant. „
quam rem cum Iulianus Cæſar in glacie fluuij Sequanæ a- „
nimaduertiſſet, eam ſimilem eſſe ſcribit lapidi Phrygio: ſic „
uocat ſpecularem, quòd in Phrygia reperiatur. Ex hoc, „
quoniam perſpicuus eſt, Senecæ memoria cœperunt fie- „
ri ſpecularia, quæ feneſtris inſerta aërem excluderent, trãs „
mitterent lumẽ, Ge. Agricola. „

DE ALIO GENERE LVNARIAE.

VLYSSES Aldrouandus aliam quoq; herbã ad nos miſit, & à nonnullis Lunariam appellari ſcripſit, ab aliquibus alyſſon Dioſcoridis exiſtimatam. Folia iam ob aridita tem perierant, conijcere tamen potui ex aridis & corruga tis ea circa ſummum caulem duos aut tres digitos longa eſſe, unum lata, læui ambitu, ſine pediculo. arida perquàm friabilia erant, & inſipida ferè. Caulis lignoſus, mandenti ferè fœtidus. Herba tota aſperiuſcula & albicans. Siliquæ latæ & compreſſæ, ut in Lunaria ſuperiore ferè: à qua-

rum ſimilitudine aliqua fieri poteſt ut nomen huic herbæ idem impoſitum ſit. Singulæ in ſummo mucronem habēt exiguum, membrana in medio ſimiliter candida conceptacula utrinq; ſingula diſtinguit, in quorum ſingulis ſemina ferè octona continentur, tenuia, latiuſcula, in medio ſubruffa, ambitu foliato candicante. Siliquæ deinceps circiter quindecim ſummum caulem ambiunt, petiolis innixę breuiſsimis, erectęq;. Sunt qui pæoniam marem, lunariam maiorem appellent Mompelij, ut Conradus Forerus Vitodurenſis, eruditus ac diligens medicus, ſingularis amicus meus mihi retulit. Hanc in Auerniæ montibus reperiri ait, folijs, ſiliquis, ſeminib⁹ ac radicibus, pæoniæ fœminæ pulchrè congruentem. Scio Hier. Tragum, & qui eum hac in re ſequitur, Dodonæum, herbam cuius radix uulgò hactenus noſtris pharmacopolis pro dictamno in uſu fuit, pæoniam marem feciſſe: quibus ego nequaquam aſſenſerim. Veram quidem Pęoniam marem in montibus prope Comum & Larium lacum naſci audio. hanc æſtate ſuperiore uidi Lindauiæ in clariſsimi mercatoris & optimi uiri Matthiæ Curtij longè inſtructiſsimo omni plantarum genere horto. folia terna biná ue, quantum memini, iuglandium ſimilia ſunt, grana in ſiliquis rubent.

Pæonia mas.

DE LVNARIA QVAM PETRAEAM cognominare licebit.

LVNARIA minor (inquit Fuchſius, qui iconem etiam dedit) rotundo eſt caule, cui folia utrinq; ſeptem annexa cordis ferè humani formā habent: in ſummitate caulis ſemen betæ ſimile profert. Naſcitur in montibus. reperitur in fine Maij & Iunij: dein ſtatim euaneſcit. Terreſtre quid præ ſe fert guſtata, atq; parum aſtringit, ut hinc mediocriter frigidam & ſiccam eſſe, uериſimile ſit. Vis foliorum eius haud dubiè uulneribus efficax, glutinandi nanq; facultate prædita eſt. Ad ſupprimendos menſes & album muliebre profluuium mirificè conferre hanc herbam experientia

perientia conſtat: Hæc ille, aliud huius herbæ nomẽ hacte nus ſibi cognitum negans. fingit autem Germanicum imitatione Latini, **klein Monkraut**: ut Tragus à foliorum ſimilitudine quæ ad rutam accedunt, **Monrautten**. Nos aliquando in petroſis Sabaudiæ montibus herbulam hanc inuenimus, colore pallidam, folijs utrinq; ut in trichomane digeſtis, unico tantum ramulo foliato, & altero quaſi lingula, cui hærent racematim ueluti ſemina quædam rotunda (ſterilia ut conijcio, non enim ſolida ſunt, ſed luteo polline plena) colore giluo, per ſummum in ſpiram retorta, quæ fortè per maturitatem explicatur. Et forſitan ſpira illa in cauſa eſt, ut à Luna ſit impoſitum nomen, quòd inſtar Lunæ à plenilunio creſcẽtis incuruetur, ſicut in filicũ generibus, & phyllitide cum folia primũ creſcunt. Radix ſimplex deſcẽdit, pluribus in imo adnatis. Guſtus è dulci aſtringit. Paſtores tauram uocabant, uel toram, quòd uaccæ hac herba deguſtata ad libidinem moueantur & requirant taurum. Sed alia eſt tora uenenata, de qua inferius mẽtio nobis fiet: dora fortè dicenda potius, quòd eius ſucco dorata & ſagittæ inficiantur. Vaccas quidem ad libidinem incitari ſeſelis quodam genere guſtato, cuius ſemen pharmacopolæ noſtri ſileris montani nomine uendunt, paſtores Suitenſes apud nos affirmant, & inde tauram (**Stierleſrut**) appellant. Porrò quòd Lunariam minorẽ, de qua ſcribimus, cum Luna augeri & decreſcere quidam putant, ita ut quot diebus ſupra terram Luna fuerit, totidem inciſuris diſſectum huius herbæ folium conſpiciatur, quis non fabuloſum exiſtimet, nõ minus quàm quòd de fibrarum in iecuſculis murium numero traditur? Lunaria hęc minor ſatis frequens eſt circa Clauenam, inſignẽ Rhetiæ pagum, ubi ruſticos iumentorum ulcera hac herba curare aiunt. Sunt in Italia qui hanc herbulam epipa ctin uocitent, quę & elleborine dicitur. ea Dioſcoridi herba parua eſt, fruticoſa, minimis foliolis: iocineris uitijs utilis & contra uenena pota. Nec plura apud ueteres reperiri puto de Epipactide. nam AEgineta nomen tantum & *Epipactis.*

uires ex Dioſcoride repetijt. ut nihil inde certum, ad herbam hanc inueniendam aut demonſtrandam haberi poſſit: ac præſtet de ea tacere quàm falſum dicere. Sed Græca uerba Dioſcoridis audiamus. Ἐπιπακτὶς, οἱ δὲ ἐλλεβορίνην (οἱ δὲ βόριον [*vox fortè mutila pro* ἐλλεβόριον] ut additur inter notha) θαμνίσκος ἐστὶ μικρὸς, ἐλάχιστα ἔχων φυλλάρια [*aliâs* φύλλα] πρὸς τὰ θανάσιμα δὲ πίνεται, καὶ πρὸς τὰ γῦν ἥπατι πάθη. Θαμνίσκον interpretor herbam fruticoſam uel fruticantem, nimirum ramulis & ſurculis pluribus ſe extendentem: non autem ſuffruticem lignoſi generis, ut ſunt thymus, hyſſopus, ſerpillum & alij, qui & ipſi tamen rectè θαμνίσκοι dicunt, imò rectius & magis propriè. Et capite ſequenti proximè fumariam βοτάνιον θαμνοειδὲς, melius quàm θαμνίσκον dixit: quoniam lignoſi in ſe nihil habet. Hæc ſi argumentum & breuitas libelli ferret, copioſiùs ueterum Græciæ ſcriptorum & grammaticorum teſtimonijs aſtruerem. Meminit eius etiam Plinius lib. 13. cap. 20. tanquam ignoti ſibi Italiæq́ꝫ, aut ne naſcentis quidem illic, inter arbores & frutices peregrinos ineptiſsime. In Aſia (inquit) & Græcia naſcuntur frutices, Epicactis (lego Epipactis) quem alij embolinen (lego elleborinen) uocant: paruis folijs, quæ pota contra uenena proſunt, ſicut Herices (lego erices) contra ſerpentes. Et in quo naſcitur granum Gnidium, &c. Miror autem thymelæam ſuffruticem, qui granum Gnidium gignit, familiariſsimum medicis, quem in Gallia ſæpe uidi, & in Italia quoq; naſci frequentem ſcio, ignoraſſe Plinium. nam ſi nouiſſet non debuiſſet peregrinam facere. In hoc igitur cum errârit, Epipactidem quoq; peregrinam eſſe, nemo ex eius authoritate côuicerit. ſed neq; fruticem, cum Dioſcorides non modo θαμνίσκον diminutiua uoce dicere uoluerit, ſed μικρὸν θαμνίσκον: ut & folia eius non modo φυλλάρια, ſed inſuper ἐλάχιστα. Sed rurſus libro 27. cap. 9. commodiùs ueriusq́ꝫ Plinius, inter herbas: Epicactis (Epipactis lego) ab alijs elleborine uocatur, parua herba, exiguis folijs, iocineris uitijs utiliſsima, & contra uenena, pota. Gallus quidam, qui Dioſcoridem nuper

cum

cum figuris ac ſuis ſcholijs Lugduni in officina Arnolleti curauit excudi, non expreſſo nomine ſuo, Epipactidẽ ſcribit à Plinio elleborinam dici, quòd elleborum nigrum referat. quòd quomodocunq; accipiatur, (uiri eruditi pace dixerim) falſum eſt. nam neq; Plinius elleborinam uocauit primus, aut præ alijs, ſed ante eum Græci è quibus tranſtulit. neq; uel ipſe, uel alius quiſquam ueterum, epipactidis folia elleboro nigro comparauit. quomodo enim illis φυλλάρια ἐλάχιστα conferri poſſent? Scio Matthæolũ herbæ cuiuſdam iconem dare, cuius folia nõ abſimilia inquit eſſe ellebori nigri folijs. ſed hunc quoq; eadẽ ratione qua Gallum illum erraſſe dicemus. adde quòd neq; fruticoſa eſt quam pingit herba, neq; ullum ſingulare ex ea ad iecur uel contra uenena remedium affert. Nam ſi uis eadem cõſtaret, ſtirpem unam pro altera accipi, tolerabilius eſſet. Similis illorum error eſt, qui conſiliginem, elleboro nigro & uiribus & facie cognatam, & aliorum qui aliam elleborinen nigri ſpeciem, (cui folia plerunq; bifida aut trifida) elleborinen appellant: Authores certè cum elleborum ſimpliciter nominãt, de albo ſentiunt. unde erroris occaſionem cepit Dodonæus, qui herbam quandã, ſingulari caule, cubitali ferè, folijs elleboro albo non diſsimilem, quam aliqui aliſma ſeu damaſonion eſſe putant, fecit Epipactidem. adeò illi unum uocabulum potius quàm deſcriptionem & uires reſpexerunt. Matthæolus ut reprehendi minus poſſet, θαμνίσκον herbam trãſtulit, ne quis τὸ θαμνοειδὲς id eſt, fruticoſam in ea, quam ipſe depingit, naturam deſideraret. Elleborine quidem dici potuit, à facultate uomitoria quam fortè communem elleboro habet. nam & ſeſamoides magnum in Anticyra elleborum uocant, propter ſimilem purgandi uim. Prodeſt autem commotus uomitus aduerſus uenena recenter ſumpta: & antidoti quædam apud Galenum uomitoriæ leguntur, quæ uenenis reſiſtũt. Idem Gallus ille innominatus, de quo ſuprà dixi, in ſecunda Dioſcoridis ſui æditione minimam gẽtianæ ſpeciem, ſed floribus maximis, cœruleis ferè, & in medio eo-

rum calatho coloribus uarijs tanquam iris inſignem, quæ ab excellenti amaritudine nomẽ apud noſtros inuenit, el leborinam interpretatur. quanquam uerò exigua ea herbula eſt, ut quæ in montium iugis, ubi parum ſuppetit alimenti, ſiccis & frigidis locis naſcatur, folia tamen ad oleæ magnitudinem, ſæpe duplo aut ampliùs maiora habet, ut φυλλάρια ἐλάχιστα dici nõ mereantur. Venenis quidem eam egregiè reſiſtere, ut & reliquæ gentianæ, inter quas amaritudine excellit, & iecori ex obſtructione laboranti ſuccurrere non dubitarim. Iam quia hactenus quid non ſit epipactis aduerſus alios dixi: etſi mihi quid ſit non ſatis cõ ſtet, coniecturã tamẽ meam proponã, eiuſmodi ſaltẽ, quæ nuſquam in illis, de quibus alios ipſe accuſaui, reprehendi poſsit, ut mihi perſuadeo. Ante años xv. aut circiter cum Anglus quidam ex Italia rediens, me ſalutaret, (Turnerus is fuerit, uir excellentis tum in re medica tum alijs pleriſque diſciplinis doctrinæ, an alius quiſpiam, uix ſatis memini,) inter alias rariorum ſtirpium icones, quas depingẽdas commodabat, elleborinem quoq; oſtẽdebat pictam, herbulam fruticoſam, pluribus ab una radice cauliculis, quinq; ferè digitorum proceritate, erectis, foliolis perexiguis, binis per interualla, (eiuſmodi ut ex aſpectu genus quoddam alſinæ exiguum uideretur,) uaſculis in ſummo exiguis, rotundis, tanquam lini. Hanc aiebat creſcere in pratis ſiccis, uel cliuis montium: inutili radice, ſubamara, purgare utrinq;, & in Anglia uulgò uſurpari à ruſticis. Eãdem apud nos etiam poſtea repertam mihi puto, non infrequentem: ſapore nitroſo, ſed periculum eius uiriũ nõdum feci. Hæc de epipactide, à Lunaria minore Fuchſij digreſſus, quam Itali quidam epipactidem nominant, ad communem conſiderationem proponere uolui, gratias il lis acturus qui certiora docuerint: Anglis præſertim, apud quos & hanc, de qua ſcripſi, ſiue elleborinẽ, ſiue ſeſamoidis ſpeciẽ: & ſeſamoidẽ alterã coronopodis folijs, & alia quædam nobis rara, à uiris doctis noſcuntur. Redeo tãdem unde ſum digreſſus, nimia quadam hæc perſequendi uoluptate.

Lunariæ minoris Fuchſij (ut præſtantiſsimus medicus Guil. Gratarolus ad me perſcripſit) in montibus Rhetię tranſalpinæ, circa Peſclauium & alibi, magna eſt copia. Vulgò autem compertum habetur, ſi iumentũ aut pecus, partem herbæ comedat ſolam, quæ uuæ botro aſsimilatur, non parũ lædi: ſin etiam folia, nihil offendi, Hæc ille.

Eſt in Bernenſium agro medicus quidã empiricus, planè illiteratus, ſed medicinæ ſucceſſu, circa ulcera præſertim curanda, utcunq; inueterata, felix & peritus: de quo amicus quidam noſter, uir doctus, hæc ad nos ſcripſit, quę prius etiam ex famulo eiuſdem empirici cognouerã: Nominare eũ hãc herbulam, clauem diaboli (Tüfelsſchlüſſel) & affirmare, in ſemine uim ueneni eſſe: id ſi uel equus uel bos depaſcatur, mox intumeſcere & perire. quòd ſi ita affecto animali herba & folia eiuſdem plantæ exhibeantur, uenenum diſpelli & liberari animal. Semen aperire ac reſerare meatus adeò uehemẽter, ut homini etiã periculoſum ſit, niſi folia ei coniungat, quæ ſeminis uenenum expellãt: & hæc in uenenorum curationibus ſæpe à ſe uſurpari. magnam etiam radici uim ineſſe. hanc ueram eſſe Lunariam, & uarijs nominibus appellari. Idem (inquit qui ad nos ſcripſit) montani paſtores mihi referebant de ſemine ſuperiori apud Valeſios: res tamen experimento caret. ſed certum eſt plurima huic herbæ uulgò tribui. Semen ſolidum non eſt, ſed puluis quidam luteus: qualis etiam ſeminis herbæ quam Tragus inter muſci genera deſcribit, Germani pedem urſinum uocant, alij lupinum, (unde Lycopodij nomen Dodonæus finxit,) imperiti quidam pharmacopolæ (quod & Matthæolus annotauit) ſpicam Celticam. eius quidem ſeminis pollen, aduerſus calculos renum nuper quorundam experimentis commendari cœpit, è uino potus.

DE LVNARIA MAIORE, SEV Filice Lunaria.

HAEC herba (inquit Remb. Dodonæus, qui etiam



Oſmūda.

iconē exhibuit huius herbę nūquam à me uiſæ) uulgò herbarijs noſtri temporis oſmunda uocatur: nonnullis filicaſtrum, chymiſtis Lunariæ maior. Brabātis **wildt varē/ ende Sinte Criſtofels cruit.** (hoc eſt filix ſylueſtris, & S. Chriſtophori herba. Eſt autem ſideritis altera Dioſcoridis.

Sideritidis ſpeciem illam cui folia filici ſimilia Dioſcorides tribuit, chymici & herbarij quidam lunariam maiorem appellāt, aliqui filicaſtrum, quòd folijs & alis filicem omnino uideatur imitari, binûm cubitorum, ramulis exilibus, folio filicis, utrinq; diuiſo, pediculo longo, prodeuntibus ex alarum ſinu ſurculis longis, tenuibus, capitulo in cacumine orbiculato, in quo ſemen continetur quàm betæ rotūdius aliquāto ac durius, Ruellius. Eſt & alia in filicum genere herba, maior & ſylueſtrior cæteris, rara inuentu, flore candido copioſo, qui circa d. Ioannis feſtum abſq; ſemine defluit, cuius figurā & hiſtoriam Hier. Tragus dedit libro

bro 1.cap.186. Idem non filicis genus, ſed uiciæ in dumetis naſcens, Os mundi appellat, & Germanicè S. Chriſtophori herbam, uel Schwartzlinſe/ hoc eſt lentem nigram.

DE LVNARIA ALPINA.

LVNARIAM Alpinam nominat Vlyſſes Aldrouandus, herbam quandam cuius ramulum aridum Bononia ad me miſit, in quo flores (roſeos fuiſſe conijcio) non ſatis amplius apparebant, ſed pappi per corymbos in ramulo illo ternos digeſti, cum paſtillicantibus ſiue bifurcis in medio barbulis aut ſtaminibus, relictis ex floribus, ſpecie omnino ſituq́ue, ut in Eupatorio illo aquatico, quo pharmacopolæ quidam hactenus pro Eupatorio ſiue uero, ſiue Meſuæ uſi ſunt. folia deciderant, præter ſuprema unum & alterum, quæ erant parua, duos digitos longa, mucronata, eminentijs utrinque paucis. Herbam ipſam ex ramulo, ſatis proceram, ad unum alterúm ue cubitum eſſe conijcio. caulis uel cauus eſt, uel alba medulla plenus. Sed de hac aliâs fortè cognoſcam plenius ex Aldrouando.

DE RORE SOLIS.



ROS Solis in Anglia uulgò appellatur hæc herbula, & rorem in folijs habere dicitur etiam in ipſa meridie, Sole eũ non conſumente. Paſsim aiunt naſci locis incultis, aridis, ſabuloſis. Nuper amicus quidã noſter rei medicæ ſtudioſus Lutetia mihi attulit, illic in muro quodam ſibi repertam dicens, & à doctis nonnullis Lunari-

am appellatam. Tragus lib.3. cap.2. hãc ipſam aut ſimilem cum muſci generibus pingere uidetur. Remb. Dodonęus
„ etiam poſt muſcos pinxit, & hæc uerba adſcripſit: Ros So
„ lis paſsim ab Herbarijs & in noſtratibus officinis (inferio-
„ ris & maritimæ Germaniæ) appellatur Teutonicè **Sandauw ende Sindauw**/ (*hoc eſt Solis ros:*) nõnullis **Loopicheruit**
„ (*cuius vocabuli ſignificationem non aſſequor.*) Aqua per alem-
„ bicum deſtillata flaueſcit, datur phthiſicis, quòd uires in-
„ ſigniter reparare credatur. Non eſt paronychia, Hæc Dodonæus. Foliola ei ſunt hirſuta, lanugine in ambitu rubente. Memini me aliquando reperiſſe duarũ ab urbe noſtra Tiguro horarum itinere, iuxta lacum quem à felibus denominant. Sunt qui generandi facultatem eius uſu promoueri putent, eadem fortè ratione quæ phthiſicis prodeſſe creditur, quaſi ut ipſa roris & humoris tenaciſsima eſt, ita natiuum & genitalem corporibus noſtris humoré augere poſsit. *Artemilla* Artemilla ſiue ros Solis aureum colorem reddit deſtillata, Obſcurus.

DE TORA VENENATA.

TORAM uenenatam (ſic enim cognomino, ut à Lunaria minore diſtinguam) aliqui Lunariam uocant, ut uir doctiſsimus Io. Franciſcus Maluetius Veronenſis nobis aſſeruit: fortè quòd folium ei rotundum & orbiculare ſit inſtar Lunæ plenæ. Nec aliud aconitum primum Dioſcoridis eſſe dixerim, de quo multa in Lupi hiſtoria ſcripſimus in libro de Quadrupedib⁹ uiuiparis, ubi congeneres aconito herbas, occaſione lycoctoni, & toxica uenena copioſiſsimè deſcripſi. Nondum autem mihi cõſtabat, quòd ea herba cuius hîc exhibemus iconem, (qualem Alexander Peierus ampliſsimi uiri Scaphuſiani conſulis Alexandri filius, olim diſcipulus noſter, nunc medicus inſignis, Patauio ueri aconiti pardalianchis nomine ad me miſit, à præſtantiſsimo profeſſore Patauino Gabriele Falloppio acceptam,) aconitum primum eſſet. Itaq; in hiſtoria Lupi,
pagina



pagina 748. his uerbis eã deſcripſi. Admonet me antora herbæ cuiuſdã raræ, quam ſemel tantum in mõte quodam alto Sabaudiæ reperi, ultra Lemannum lacũ, è regione ferè Lauſannæ. folium ei rotundum, planè circinatum: ea ferè magnitudine, ut diameter duos pollices ęquet, in circuitu ſerratum, ſolidum, albicãs: &, ſi bene memini, ſingulis plãtis unicum. florem non uidi. radices ſunt albæ, glandibus aut oliuis penè ſimiles ut filipendulæ, guſtu feruido, Hæc nos illo in loco. Io. Kentmañus etiam, quẽ honoris gratia nomino, cum alijs compluribus pulcherrimis plantarum iconibus, toram quoq; depictam mihi communicauit, folio ſimili, ſed tribus ab una radice: quorum duo extrema minora ſunt & abſq; cauliculo: medium maius eſt, & à principio eius cauliculus enaſcitur, ut in noſtra icone, is etiam flore uiduus, & paruum aliud folium mucronatum proferens. Radiculæ circiter decem, ceu napi quidam exigui, ab uno omnes radicis capite uel initio oriri uidẽtur, aliter q̃ in noſtra ico

ne. Minores plantas omnes putârim ſingulari folio ſingulas conſtare: maioribus uerò alterum prӕterea & tertium adnaſci, ex alijs nimirum radicibus adnatis. Hãc herbam Kentmannus ait ab Aloiſio Romano (qui uir exquiſita harum rerum cognitione clarus, Patauij inſtructiſsimo medicorum horto prӕfectus eſt) uerum aconitum pardaliãches iudicari, reperiri in monte Baldo inter Patauium & Veronam. in quo eandem herbam, torӕ nomine uulgari, folio ſingulari prouenire, Guilielmus Gratarolus Bergomenſis mihi aſſeruit. Non eſt igitur ampliùs dubitandum, quin exhibita à nobis tora uerum ſit aconitum primum: quod multi hactenus fruſtra inquiſiuerunt. ego ut ante annos quindecim in hac ſententia fui, cum Catalogum plantarum quadrilinguem ӕderem, ita nuñc primus eius effigiem publicaui. Matthӕoli Senenſis quidem̜ pro aconito primo delineata imago, planè fictitia mihi uidetur: ſiue ipſe ad Dioſcoridis deſcriptionem confinxerit, ſiue ab alio deceptus acceperit. quanquam enim ipſe hoc aconitum primum ſӕpe in Tridentinis montibus ſe legiſſe ſcribat, non tamen fidem apud me meretur radicis, quam proponit, forma, nimis ſanè artificioſa, nimiúmque σκορπιοειδὴς abſq; ullis fibris, &c. Quòd ſi herbam ipſam quam pingit, duobus aut tribus eruditis uiris demonſtret, illorumq́; teſtimonio eam nobis uel publicè approbet, palinodiam facile meditabor, & inſuper gratias agam. Sin minus, nolim tamen hanc unam ob cauſam utiliſsimo doctiſsimoq́; operi eius, authoritatis quicquam imminui, cũ icones ſtirpium cӕteras pleraſq; omnes & ueras, & pulchrè ad uiuũ expreſſas contineat.

De tora ex epiſtola doctiſsimi uiri Auguſtini Maynardi Itali, Clauennӕ apud Rhӕtos eccleſiaſtӕ. Herba tora (Geſnere) apud Valdenſes in alpibus Vnderflumen & Engronia oritur. Naſcitur †cubitalis (ut audiui ex his qui eã regionem inhabitant) longitudinis, & etiam maioris. Venenum ex ea letale cóficitur, quo ſi gladius, aut ſpiculum uel ſagitta infecta fuerit, & hominẽ uulnerauerint (mirabile dictu) niſi pars lęſa ſubitò abſciſſa fuerit ut nequeat ipſi⁹ ue-

† Hanc longitudinem vix puto cõuenire noſtrӕ torӕ, ſed napello quẽ aliqui ſimiliter torã vocitãt.

ueneni malignitas in reliquum corpus ſerpere, totum ſanguinem ita corrūpit atq; coagulat, ut ſtatim occidat nec ullo remedio aut medicamine (quod ſciant) uitæ ac ſaluti ſuccurri poteſt. itaq; neceſſe eſt eum qui percuſſus eſt miſere perire. Si uerò aliud animal ſagitta huiuſmodi ueneno intincta, uerbi gratia urſus aut alia fera percuſſum fuerit, bino aut trino ſaltu facto moriens cadit. cuius ſi edantur carnes nihil nocent homini: quo datur intelligi id uenenum ſoli ſanguini eſſe inimicum. Nam & contrà ueneno illi ſanguis ita inimicus eſt, ut ſi in ollā, ubi ſeruatur uenenum, ſanguis inciderit, uenenum ſuam uim amittat, nec amplius nocere poſsit.

De eadem ex epiſtola amici cuiuſdam, iuuenis eruditi.

Nactus ſum tandem Valdenſem quendam, ciuem Genuenſem, qui confirmauit quæ de aconito primo, fando te accepiſſe aiebas Geſnere, nimirum toram à ſuis Valdenſibus nominari. ea ſagittas infici. nam illius herbę radix ſeruata aliquandiu in loco humido, poſtea contūditur: ubi contuſa fuerit, ſucco eo qui expreſſus fuerit, ſagittæ tinguntur. Quàm uerò promptum & præſens uenenum herbæ illi inſit, ex eo cognoſces quod mihi narrauit. Quum (inquit) aliquando auunculus meus procul ſagitta huiuſmodi ſucco infecta leuiter urſum eumq; uaſtū attigiſſet, cœpit urſus magno impetu per ſyluam ferri, & huc illuc diſcurrere, ita ut auūculum meum ualde perterrefaceret: ideo locum editum conſcendit, ad quem urſo non patebat uia: hinc quum illum ſpectaret, uidit tandē longis decurſis ſpatijs, concidentem, & uitam exhalantem: quum nimirum uenenum illud, peruaſiſſet cor: illud enim occiſo iam urſo deprehendit ita eſſe.

Corollariū addā, de antitora nonnihil, præter ea quę in noſtra de Lupo Philologia ſcripſi, ut alios etiā ad huius nobiliſsimę herbę (quę ſola toræ, id eſt aconito inuicto aliâs ueneno, aduerſari, eiusq; uim ſuperare creditur) inquiſitionem excitem. nullus enim noſtra memoria, ne ex illis quidē qui ſtirpium hiſtoriā ex profeſſo tradiderunt, de ea quicq̄ prodidit, tā celebri alioqui ut Ariſtoteles etiā ſecu-

lo ex Gallijs in Græciam fama eius peruenerit, ut nos in Lupo abunde oſtendimus. Erit aũt inuentu facilior cũ toræ ſit ſimilis: folijs ſcilicet ſimiliter rotundis, ut ariſtolochiæ, minoribus: uelut uiolæ, ſed rotundiorib⁹ & modicè inciſis. flos ei ſubrubeus, (q in tora bene uiolace⁹ eſt,) quẽ aliqui cyclamino comparant, etſi Arnoldus eam florere negauit. Radix oliuarum nucleis ſimilis eſt, ſimiliter nimirũ ut torę. Naſcit̃ iuxta toram, in alpibus Saluciarũ & Pinarolij. Cõmendat̃ nõ ſolũ contra torã, ſed alia etiã multa uenena, & aduerſus peſtẽ ab Ant. Gainerio. Galli qui circa alpes Italiæ finitimas habitãt, anthulliam uocant, antholle ſua lingua. Nuꝑ amicus quidã eius radicẽ (quã ꝓ remedio cõtra calculos renũ acceperat) nobis obtulit. ea lõgitudinẽ articuli in digito ęquat, ſolida, ſine neruo, foris ſubruffa int⁹ albicat, (alia quædã, uitio fortaſsis, intus nigricabat,) ualde amara, craſsitudine nuclei oliuæ. Allatã dicebat de mõte Cinis, ut uulgò uocãt. Hoc etiã olim añotaui, Gallo quodã dictante, neſcio q̃ uerè: Antorã tres ĩ radice nodos habere, quorũ extremi ſint uenenoſi, medi⁹ aliorũ antipharmacũ. guſtu dulcẽ eſſe, cũ illa quã ipſe guſtaui ꝑamara fuerit. Nodos quidẽ in radice, tales eſſe puto, quales ſũt filipẽdulę uulgò dictæ: quã Arnold⁹ Villanouan⁹ antoræ ſpeciẽ facit: ego toto genere differre putârim. nõ enim ſtatim eiuſdem generis ſpecies ſunt: quæ aliquam unius partis ſimilitudinem habent.

Veronæ toram uocari audio, herbã quæ alibi à pleriſqꝫ eruditis napellus dicitur, noſtris Kappenblůmen/ inter aconiti ſecundi genera: Napellum uerò ibidem aliam quandã aconiti ſpeciem dici, oblonga radice, alba.

Sagitta illita ſucco napelli uel ellebori, necat illico: qꝫ ſi idẽ uenenũ exprimat̃ ſuper digitũ modicè excoriatũ, interimere conſtat, niſi ſuccurratur, Arnoldus Villanouanus.

SVNT q in pratis mõtanis Lunariã ſuã effodiãt, folijs (ut aiunt) meliloti, radice circũtexta tunica quadã retiformi.

FABAM inuerſam Iacobus Manlius Lunariam herbã appellat: & ſolanum ſomnificum interpretatur, ſed falſo, hiſtoria enim omnino repugnat.

FINIS.

DESCRIPTIO MONTIS FRACTI SIVE MONTIS PILATI VT VVLGO NOMINANT, IVXTA LVCERNAM IN HELVETIA, PER CONRADVM GESNERVM.

Tiguri apud Geſneros.

IO. CHRYSOSTOMO HVOBERO MEDICO PRAECLARO, CONRADVS GESnerus medicus S. D.

CVM pro veteri conſuetudine mea, tum animi, tum valetudinis gratia, vel ſingulo, uel altero quoq; anno breuem aliquam peregrinationem, præſertim montanam, ſuſcipere ſoleam, nuper te quoq; chariſsime HVOBERE Lucernæ inuiſere uolui, vnà cum amicis noſtris Petro Figulo Lithotomo, & Petro Boutino Auinionenſe pharmacopœo, & Ioanne Thoma pictore affine meo, ſingulis in ſua arte peritiſsimis iuuenibus. Illic tu omnia humanitatis officia in nos contuliſti: et ibidē ſanè perhonorificè tum à ciuibus nonnullis priuatim, tum publicè etiam copioſo vino honorario donato excepti ſumus. Poſtridie à Prætore magnifico viro Nicolao à Meggen equite fortiſsimo venia (vt moris eſt) montem Fractū aſcendendi impetrata, diſceſsimus. In eo autem itinere quicquid obſeruauimus breui hac deſcriptione complecti, et tibi dedicare ſtatui: vt inde et gratitudinis noſtræ qualecunq; argumentum tibi exhiberem: ac ſimul te rogarem, ut ſi quid in hac deſcriptione à me vel peccatum uel omiſſum eſt, tu emendares et impleres. vtrunq; .n. à te præſtari facile poteſt, cū in clariſsima ciuitate Lucerna monti quē deſcribo proxima, medici munere fungaris, et multorū ibi ac potentium quoq; virorum amicitijs floreas, & doctrina iudicioq; valeas: & montem etiam ipſe nuper aſcenderis. Quòd ſi non de hoc ſolum, ſed alijs etiā præſertim Heluetiæ noſtræ montibus (quibus illa præ omnibus fermè regionibus abundat) quicquid memorabile in ſingulis vel ipſe videris, vel ab hominibus fide dignis acceperis, aliquando ad me perſcripſeris: addam ego (ſi vixero) meas quoq; obſeruationes, vt de montibus eorūq; miraculis integer aliquando libellus condatur. In præſentia quidem etſi plurimos olim & multò altiores in diuerſis Heluetiæ locis montes peragrârim, de veſtro tantū quem Fractum nominant, propter recentem memoriam ſeorſim conſcribere libuit. Vale. Tiguri quinto cal. Septembris. anno M. D. LV.

DESCRIPTIO MON=
TIS FRACTI IVXTA LVCERNAM, ET PRImum Chorographica, præſertim quod ad paludem Pilati in eo memorabilem.

MAGNI inter Heluetios nominis ciuitas Lu-
cerna eſt, monaſterio præcipuè celebris, cu-
ius conditor fuit VVighardus quidam presby
ter, Ruperti ducis Alemanniæ & Sueuię frater,
circa annũ à nato Domino noſtro octingẽteſimo ſexto de
cimo. Ciuitas enim poſt monaſterium & pariter etiam ra
tione monaſterij condita fertur. Ciues humani & hoſpita
les, & non pauci locupletes ſunt. Multa eorum fortitudi-
nis bellicæ teſtimonia extant. Amœnitas loco præcipua,
& ſimul utilitas piſcationis, uecturę, munitionisq́ nomine
ex lacu & Vrſa fluuio, illic è lacu quem fecerat emergẽte,
accedit. Pontes bini aperti per fluuium, & totidem per la-
cum tecti, plancis ſternuntur. alter per lacum, qui longior
eſt, ad greſſus circiter quingentos extenditur. Ab altera
parte tuta munitaq́ ciuitas eſt alto colle, quem etiam mœ
nia incingunt. Sed urbis deſcriptionem alijs relinquo. Ini
tium montis Fracti, quà nos cõſcendimus, ad ſeſquihoræ
iter abeſt. (Audio & alia breuiore uia conſcendi, ſed ea ma
gis accliui). Inde per ſyluas, ualles, prata, & cliuos aſcẽdi-
tur. Intra horam ferè ad dextram apparent rudera arcis di-
rutę, quam ab Anglo quodam nobili inhabitatam ferunt.
nam per hanc quoque regionem Anglorum exercitus ali-
quando graſſatus eſt. Inde peruenitur in uallem quam E-
ijetalam uocant. in qua innumeræ boues paſcuntur: & pa
ſtorum ſiue lactariorum hominũ, γλακτοφάγων ἀβίων τε δι-
καιοτάτων ἀνθρώπων multæ caſæ, ſtabula & fœnilia ſpectan
tur. Incolunt autem hæc loca ęſtiuis tantũ menſibus qua-
tuor: ſi modò æſtas illic nominanda eſt. In uerticibus e-
nim altiſsimorum montium perpetuam hyemem eſſe di-
xeris. paulò inferius etiam uernum tempus, circa medium

æſtatis uel tardius. Flores enim ęſtate media uel autumno etiam, ijs in locis uidētur, qui in planicie uerni ſunt, ut uiolæ, flores bechij & petaſitidis. Fructus uerò nullus, niſi forte fragum & uitis Idęa. Inferius uerò autūnus quoq; ſuum habet locum, in proferendis quarūdam arborum pomis, ceraſis potiſsimum, quæ tamen ſerò matureſcunt, utpote non æſtiuo, ſed uerno potiùs Sole. In imo iam calidior Sol & radiorum reflexus ęſtatem quoq; efficit. Itaq; ſummam huiuſmodi montium partem quæ circa cacumen eſt, hyemalem appellarim, ſemper illic obtinente hyeme, & niuibus, aut ſi niues in nonnullis humilioribus aliquando liqueſcant, (ut in eo de quo ſcribimus monte) frigore & uētis. Alteram, quæ infra cacumen declinat, uernam: quamuis in ea longiſsima hyems, uer autem breue eſt. Tertiam autumnalem, quòd præter uer aut hyemem, autumni etiā aliquid habeat. Infimam, æſtiuam. ita ut in ſumo loco pars anni una intelligatur, in declinante duę, in tertio tres, in infimo quatuor. Nos uiceſimo Auguſti die pauca quædam ceraſa circa medium montis inuenimus: & ſuperius in parte uernali fraga quædam & uitis Idęæ, rubiq; Idæi fructus: quibus aduerſus ſitim ac famem nos recreauimus. Pernoctauimus autem in fœnili quodā Eijetalæ uallis apud paſtorem ſanè benignum & hoſpitalem: qui uarijs de lactario opere cibis nos refecit. quanquam uinum quoq; non deerat, allatum à publico miniſtro qui nos ducebat. Nam duce opus erat duplici cauſa: primum propter religionē incolarum, qui ad Pilati paludem neminem admittunt (iuramento etiam ne id faciant quotannis aſtricti) qui non probum aliquem uirum ex ciuib⁹ ſecum duxerit, ex quo ueniam conſcendendi à Prætore conceſſam intelligant. Riuus per uallem defluit, in quo licet pertenui & gelidiſsimo, trutæ tamen optimæ & ſatis magnæ capiuntur, & hæ quidem ſolæ in altis locis: inferiùs, ut circa mediū, cancri quoq; & thymali. In uerticibus & iugis ſaxoſis atq; præruptis per uarios anfractus, unde monti nomē, rupicaprę ſtabulantur, & niſi fallor etiam ibices, quos capricornos uul

gò uocăt, Homerus in Creta αἰπάγρους, & mures alpini: quorum naturas nos in hiſtoria quadrupedum deſcripſimus: & gallinæ quędam montanæ, ut phaſiani alpini, & lagopodes ſiue perdices candidæ pedibus uilloſis nidulantur.

A medio montis & Eijetala ualle aſcenſus deinceps altior difficiliorq́; eſt ad ſummam uſque caſam ſiue ſennam, ut ipſorum uocabulo utar. Paulò infra quam fons eſt ad dexteram in latere cliui, in exiguo terræ cauo abditus, cuius puriſsima gelidiſsimaq́; aqua à laſsitudine, ſiti & æſtu, mirificè refecti ſumus, cum affatim inde hauriremus, & pane ex eo madente ueſceremur, qua uoluptate haud ſcio an ulla magis grata, magisq́; Epicurea (quáquam maximè ſobria & frugalis) humanis ſenſibus contingere poſsit. Epicurũ uoluptatis patronum legimus, pane & aqua aliquando contẽtum cœnitaſſe, nimirum quòd ex frugaliſsimo illo uictu non in præſentia modo ſimplicem ac naturalem uoluptatem, ſed poſtridie etiam ſenſuum ac cerebri integritatem capitisq́; leuitatem perciperet. Sed cum uoluptatis corporeæ qua ſenſus demulcentur uis, affectionis contrariæ intenſioni remiſsioní ue reſpondeat, ut in bilance pars altera tanto euadit altius, quanto magis deprimitur altera, pari utrinq; momẽto: & ubi contraria ſenſibus moleſtaq́; affectio nulla præcedit, ne uoluptas quidem ſequi ulla poteſt: frigidæ potum fateri oportet nunquam naturæ iucundiorem eſſe, quàm cũ ſiti, æſtu & laſsitudine maximè incaluimus. id quod montanis in locis & longo aſcẽſu maximè contingit. Itaq; cum ſimul quieſcimus à ſum̃o labore, ſimul à maximo calore refrigeramur, ſimul à ſiti intenſa irrigamur, ſimul à fame ſolito maiore paſcimur, præſertim animo interim quàm maximè tranquillo & ſecuro, & iucundiſsima amicorum ſocietate, comitate, colloquijs exhilarato, quis non ſummam hac in re uoluptatem ponat? Quis enim ſenſuum hìc ſua uoluptate nõ fruitur? Nã quod ad tactũ, corpus uniuerſum ęſtu affectũ, frigidioris per mõtes aëris occurſu, qui & ſuperficiẽ corporis undiq; aſpirat, & plenis hauritur faucibus, unicè recreatur, *Tactus.*

iuxta illud Homeri, ζώγρει ἐπιπνείων ψυχρὸς βορέαο ἀήτης. Idem rurſus uentos & frigora expertũ, Sole, ambulatione

Viſus. uel igne in caſis paſtorum calefiet. Viſus mirabili montiũ, iugorum, rupium, ſyluarum, uallium, riuorum, fontiũ, pratorum, aſpectu inſolito delectatur. quod ad colorem uirent & florent pleraq; omnia. quod ad eorum quę uidentur figuras, miræ & raræ ſunt ſcopulorum, rupium, anfractuũ, aliarũq; rerum ſpecies, tum figura tum magnitudine altitudineq; admirandæ. Si oculorum aciem intendere, uiſum diſpergere, & longe lateq; proſpicere & circumſpicere omnia libeat, ſpeculę ſcopuliq; non deſunt, in quibus capite iam inter nubes uerſari tibi uidearis. Si contra colligere uiſum malis, prata ſyluasq; uirentes aſpectabis, aut ingredieris quoq;: uel ut amplius colligas, ualles opacas, rupes umbroſas, ſpeluncas obſcuras inſpicies. Eſt autem cum omnium rerum uiciſsitudo & uarietas, tum uel maximè ſenſibiliũ iucunda. Tanta uerò uarietas alibi nuſquam, quanta in montibus, intra quidem tam breue ſpatium reperitur: in quibus ut alia iam nõ dicã, quatuor anni partes, æſtatem, autumnum, uer, hyemem, uno die uidere ac ingredi licet. Adde quòd ex ſummis montium iugis, uniuerſum cœli noſtri hemiſphærium liberè conſpectui tuo patebit, & ortus occaſusq; ſiderum abſq; ullo impedimento facilè obſeruabis: & Solem longè tardiùs occidentem, exorientem uerò citiùs animaduertes.

Auditus. Auditũ ſuaues ſociorum ſermones, ioci, facetiæq; oblectabunt: & auicularum in ſyluis ſuauiſsimi cantus, & ipſum deniq; ſolitudinis ſilentium. Nihil hîc auribus moleſtum eſſe poteſt, nihil importunum, nulli tumultus aut ſtrepitus urbani, nullæ hominũ rixæ. Hîc in profundo & religioſo quodam ſilentio ex prææltis montium iugis, ipſam ferè cœleſtium, ſi quæ eſt, orbium harmoniam exaudire tibi uidebe ris.

Olfactus. Odores etiam ſuaues ex herbis, floribus ac ſtirpibus montanis ſe offerunt. eædem enim plantę in montibus, tũ odoratiores, tum ad medicamenta efficaciores, quàm in plano proueniunt. Aer hîc longè liberior & ſalubrior, nec

adeò uaporibus craſsis infectus, ut in planitie, nec ut in urbibus & alijs hominũ habitationibus cótagioſus aut fœtidus. hic naribus ad cerebrum deriuatus, arteria ad pulmones & cor, non ſolum non offendit, ſed etiam iuuat.

Guſtus oblectamentũ eximium iam ſupra celebraui, frigidæ potum: qui quidem defeſſos ac ſitiétes nulla aut multò minore noxa hîc delectabit, quàm in planitie uel domi fieret. Primum enim ipſa aqua in montibus purior & melior eſt, præſertim circa medium, ni fallor: ubi neque frigida nimis aut niualis eſt, & tamen pura & percolata & libero adhuc expoſita aëri: Cum circa uertices uel nulla ſit; uel prægelida niualisq́;, nec pura ſatis, nec percolata. in pedibus uerò montium, minus frigida eſt, ideoq́; minus iucunda: & plerunq; in aëre minus libero, ac inſalubrior. Deinde frigidiſsima aqua ſæpe minus lædit, quàm minus frigida, aucto per antiperiſtaſin in uentriculis bibentium calore, præſertim iuniorum. nam cum frigidior his in locis aër ſuperficiem ſubinde refrigerans, poros nimium aperiri, & calorem internum exhalare ac diſcuti nõ ſinat, & frigiditas ex potu intrinſecus accedat, interceptum utrinq; contrario frigore calorem natiuum intra ſe magis colligi & augeri dicendum eſt. Præterea motus & ambulatio mox à potu ſuccedens, ut aqua partim per urinam & ſudorem inaniatur, partim calefiat, efficit: neq; poſsit frigida ſtatim ad cor rapi, & calorẽ eius extinguere, quæ mortis aut grauiſsimi morbi cauſa foret. Cor etiam frigido aëre inſpirato ſubinde, minus calet, itaq; frigidæ potu minus offenditur. Nam quæ magis calent à frigore citius affici & uinci conſtat. Sed hoc ita ſe habere, hoc eſt frigidam tutius in montibus bibi, etiã copioſe, nõ rationibus tantum noſtris credi uolo: ſed experientiæ multò magis. Nam & accolæ montis Fracti hoc affirmant: & ego cum multis amicis nõ hoc ſolum in monte, ſed alijs quoq; multis prius ſine noxa ſæpe ſum expertus: cum alioqui phlegmaticus & frigidi uentriculi homo, facile aquæ potu offendar. Aiunt etiã infra illum, cuius mentionem feci fontem, alium eſſe reme

Guſtus.

Fons aduerſus febres. Der kalt= wee brūn.

dio aduerſus febrem præcipuè tertianam, nobilem. ſed cō pioſe ex illo bibi iubent & ad faſtidium uſque. Vnde cum uomitus plerunque ſequatur, & nimis febrilis calor extinguatur, materiæ ſimul ac bilis euacuatione, & alteratione caloris febrim in multis extingui nihil mirum. Veriſimile eſt enim robuſtiores tantum ad illum fontem adire poſſe: eosq́ ante & pòſt ſudare. Itaque tertiana, quæ alioqui breuis eſſe ſolet, facile in illis diſcutitur, ubi & uirtus ualida eſt, & uacuationes illæ accedunt alterationi. Placebunt etiam guſtui fructus montani, & ſuauiſsima lactaria opera, in montibus longè præſtantiora, quæ infra nominabimus. Deniq́ cibus & potus quiuis poſt huiuſmodi labores, palato ſtomachoq́ longè gratior fuerit, quàm in otio & quiete. Concludamus itaq́ tandem, ex montanis ambulationibus quæ cum amicis ſuſcipiuntur, ſummas omnino uoluptates, & iucundiſsimas omnium ſenſuum oblectationes percipi, ſi nullum in aëris conſtitutione, nullum in animo aut corpore impedimentum ſit. Nam homini ægroto aut membris infirmo nihil huiuſmodi acceptum eſſe poteſt. Sic etiam ſi animus ægrotet, ſi curas & paſsiones non depoſuerit, fruſtra corporis & ſenſuum uoluptates quæruntur. Sed da mihi hominem animo & corpore mediocriter ſaltem conſtitutum, & ingenuè educatum, nec nimis deditum otio & luxui aut libidini, uellem & rerum naturæ ſtudioſum ac admiratorem, ut ex contemplatione etiam & admiratione tantorum ſummi opificis operum, ac tantæ uarietatis naturæ in montibus tanquam uno in cumulo ſe oſtendentis, animi uoluptas concordi ſenſuum omnium uoluptati accederet: quod quæſo aliud intra naturæ quidem limites, honeſtius, maius & omnibus abſolutius numeris oblectamenti genus inuenies? At ambulatio ipſa & laſsitudo laborioſę moleſtæq́ ſunt. Eſt etiam in difficultate locorum & præcipitijs periculum. Ciborum & lectorum deliciæ deſunt. Sunto hæc uera. iucundum erit poſtea meminiſſe laborum atque periculorum. iuuabit hæc animo reuoluere & narrare

Voluptatis ſymphonia circa animū & omnes ſenſus.

rare amicis. Quin & ipſa uoluptas ex quiete laborē excipiente tanto futura maior eſt, & ſanitas etiam firmior, in homine, qualem poſtulo, mediocris ſaltem conſtitutionis. exercentur enim omnes corporis partes ambulantium, & interdum ſaltantium. tenduntur & laborant nerui & muſculi omnes, alij in aſcenſu, alij in deſcenſu: & aliter in horū utroq;, ſi modò recta, modò obliquè fiat, ut fit in montibus. Sed poteſt & debet ambulationi mediocritas quædam adhiberi. & uerum eſt, quod in problematis ſcribit Ariſtoteles, ambulantes per inæqualia loca minus defatigari, quàm per æqualia: hoc eſt eos qui uiciſsim aſcendunt deſcendúntque, qualia montium itinera ſunt, minus fatigari quàm qui uel per planitiem diutius, uel ſurſum deorſúm ue tantum iter faciunt. Poſſunt & rupium aliaq; pericula declinari ab illis qui uel uertiginoſos ſe eſſe, uel alioqui arduis locis ſuperandis parum idoneos ſe intellexerint. Eſt aliquid prodiſſe tenus, ſi non datur ultra. Quod ad cibos, diximus ſupra, & dicemus etiam poſtea, qui qualesq; reperiantur in montibus, qui certè etiam delicatis hominibus ſatisfacient. præſertim cum uno aut altero tantum die conſuetis ſit abſtinendum: & lactaria illa opera quanquam inſueta, ambulantes tamen pleroſque propter exercitium nihil lædant: ita ut homines gulæ ſtudioſi uel hoc tantum nomine montes aliquando adire deberent, ut frigidam bibere, lacte & uarijs ex eo cibis delicijsq; frui ſine ſtomachi & ualetudinis noxa liceret, quod pleriſque domi non licet, etiamſi hæc æquè lauta in promptu eſſent. Si tamen omnino cibus alius requireretur, facile per miniſtros deferri poteſt.

Sed lectus, culcitra, plumæ, puluini deſunt. O mollem & effœminatum hominem. omnium inſtar tibi fœnum erit. molle eſt, odoratum, ex uarijs herbis ac floribus ſaluberrimis congeſtum. longè ſuauior & ſalubrior inde nocturna tibi reſpiratio fuerit. Hoc pro puluino capiti, pro culcitra tibi toti ſubſternes: & pro ſtragulo etiam inſternes.

Sed ad inſtitutam montis chorographiam redeo. In ſuprema caſa uaccaria, poſtquam delicatiſsimo pinguiſsimoq; lacte refecti ſumus, & lituũ alpinum inflauimus (longum ferè ad pedes undecim, duobus lignis modicè incuruis & excauatis compactum, & uiminibus ſcitè obligatũ) inde læuorſum deflexìmus duce bumolgo illius caſæ: & mox tripodes, id eſt baculis nixi, quos alpinos cognominant, & mucrone ferreo præpilare ſolent, nulla uia per cliuum ſanè arduum longo itinere conſcendimus, interdum etiam ceſpitibus apprehenſis reptauimus: & inter ſaxa rupesq; magno labore tandem ad cacumen euaſimus, è quo tum alia longè lateq; ſpectabantur, tum regio Lucernenſibus ſubdita Entlebocha nomine ad occaſum. In cacumine ſpecula è rupe eminet, in qua Pilatum olim conſediſſe & diras concitaſſe tempeſtates credunt. In ea literæ quædam uiſebantur, nomina eorum qui adierant, & añus Domini, & quædam ſigna gentilia ſiue familiarum. inde in planitiem dextrorſum deſcendimus, ubi reperimus areã quadratam, hexaclinô ferè, eminentibus circunquaq; marginibus, gramine uirentem, ſed locus medius ſeſquipedis ferè ſpatio quoquouerſus, nudus & ſine herba erat, terra in eo aperta, nec unquam innaſci quicquam aiunt. in eo ſtetiſſe incantatorem ex illis quos uulgò ſcholaſticos peregrinantes auorum memoria nominauit, druidarum reliquias, (ut in Mithridate polyglotto oſtendi,) dum Pilatũ ex illa (quam dixi) ſpecula coniurationibus ſuis depulſum in proximã deturbaret paludem. Ab hoc loco ad ſiniſtram rurſus profecti per cliuum deſcendimus aliquandiu donec tandem ad lacum aut uerius paludem Pilati peruenimus: in planitie uallis exiguæ ſitam, dodecaclinon fortaſsis, in qua Pilatum immerſum aiunt: & in alia proxima minore uxorem eius. Locus circa paluſtris eſt. Si quicquã ab homine de induſtria inijciatur, toti regioni ex tempeſtatibus & inundatione periculum eſſe aiunt. quæ incolarum perſuaſio, cum nullam ſecundum naturam rationem aut cauſam habeat, nullam apud me fidem meretur.

Quan-

Quanq̃.n.ſæpenumero ad ſuperſtitiones ac falſas perſuaſiones euẽtus & miracula ſequanẽ,non idcirco tamen ſimpliciter & à bonis uiris habẽda illis eſt fides. Ego Pilatum his in locis nunq̃ fuiſſe crediderim: & ſi fuiſſet, nullam ei à morte cõceſſam in homines bene aut male faciẽdi poteſtatẽ. Quòd ſi quis dicat multa huiuſmodi perpetranda diuinitus concedi genijs malis,& Pilatũ etiã talis genij naturã induiſſe:reſpondeo non dicendã eſſe poteſtatẽ ſi quid mali à malis perficiatur genijs: ſed Dominum Deum permittere ut impiorum aut ſuperſtitioſorum fides ita decepta confirmataq; ſuæ impietatis aut ſuperſtitionis pœnas luat. Impium enim eſt ullius in mundo euentus aut mutationis cauſam in alium reijcere authorem quàm Deum. Hæc quidem ſententia noſtra eſt,qua ſi quis uir bonus & pius meliorem me docuerit,audiam libenter. Negant hanc paludem aut creſcere aut minui unquam:idq; mirantur,cum undiq; collibus cingatur à quibus liqueſcentes defluunt niues. Sed terra circunquaq; paluſtris, & meatuum plena eſt,ut facile quicquid defluit abſorbeatur , antequam ingrediatur paludem. Profunditatem neſciunt: quod eã experiri,aut paludem quoquo modo attingere eis nefas ſit. Ego in altiſsimo quodam Sabaudiæ monte,in regione Bodiontiorum retro Cluſam oppidum, ſimilem lacum uidiſſe memini, ſed nullius religionis : rotundum ferè, perexiguum , ſed tantæ profunditatis ut montẽ totum penetrare crederetur. aiebant enim incidiſſe aliquem bouem, cuius caput & cornua poſt aliquod tempus in fonte quodã ad pedem montis iuxta oppidum Cluſam inuenta fuerint. Euſebius hiſtoriæ eccleſiaſticæ libro 2. cap.7. & alij quidam hiſtorici, Pilatum tradũt tempore Caij Caligulæ, annis circiter quadraginta poſt natiuitatem Domini, è Iudæa euocatum Romam, cum à Caligula ſibi anxiè timeret, mortem ſibi conſciuiſſe,(propria manu ſe tranſuerberaſſe,cum ſub Claudio accuſatus à Caio Lugdunum in exiliũ miſſus eſſet,Io. Nauclerus):quo uerò in loco id fecerit,nõ exprimunt. Alij eum Roma in exilium ablegatum aiunt, *Pilati mors*

& paulò pòſt in Rhodano apud Viennam Galliæ urbem ſubmerſum: atq; eo in loco naues etiamnũ periclitari, teſtantibus accolis, ut meminit Otho Friſingenſis lib. 3. cap. 13. Quod ſi ab area illa incantatoris, quam dixi, rectà ferè per montis ueluti ſpinam progreſsi eſſemus Lucernam & Septentrionem uerſus, intra horæ ſpatium perueniſſemus ad locum in montẽ quem Widerfeld nominant: ubi, ni fallor, planicies quædam eſt: & in eodem ſpelunca quędam reperitur uulgò dicta das Man loch / uel potius das Moon loch / id eſt Spelunca uiri uel Lunæ: cuius aditum inſtar portæ alicuius aiunt eſſe anguſtum, interiora patere, & mediocrem lucem admitti, ſemitam eſſe qua quis uel ultra centum ulnas ſiue orgyias progredi poſsit: tandem perueniri ad aquam: & ſi quis pergeret, in fine ſpeluncæ ianuam ferream inueniendam aliqui nugantur. mihi enim ueriſimile quod ad ianuam non ſit, cætera facile credo, quod & ex alijs audierim, & ex ſene bumolgo uiro bono, qui ſe ultra centum orgyias progreſſum in eo ſpecu dicebat, & inde ex fornice attuliſſe quod Lac Lunæ appellant, de quo infra pluribus ſcribam. Ab eo loco meridiem uerſus ad Subſyluanos deſcenſum, ſed difficilem, eſſe aiunt. Sed nos à palude Pilati, quum & dies iã declinaret, & pluuiæ ueſpertinæ ſigna apparuiſſent, ut tempeſtiuè Lucernã rediremus, per collem ſiniſtrum aſcendimus, & rurſus per uiam ſatis commodam, quam etiam boues ingredi ſolent, deſcendimus, qua quidem prius etiam nobis licuiſſet multò commodius breuiusq; ad Pilati paludem peruenire. atque ita ſub noctem in urbem reuerſi ſumus, in monte aliquãndiu propter ingruentem pluuiam morati.

In Cyrenaica prouincia (inquit Pomponius Mela libro 1. de orbis ſitu) rupes quædam eſt Auſtro ſacra. hæc cũ hominum manu attingitur, ille immodicus exurgit, arenasq; quaſi maria agens ſic ſæuit, ut æquor fluctibus. Idem teſtatur Plinius lib. 2. cap. 47.

In Haleſina regione fontẽ aliâs quietum & tranquillum quum ſiletur, ſi perſonent tibię exultabundum ad cantum

ele-

eleuari, & quaſi miretur dulcedinem uocis ultra margines intumeſcere, Dionyſius Afer uel Rhemnius eius interpres tradit. Huius quidem benignior geniꝰ eſt, & ſi quem intellectum natura habet, multò magis ei adſcribendus q̃ qui Pilatinam Stygem incolit.

EX COMMENTARIIS IOACHIMI Vadiani in Pomponij Melæ locum iam citatum.

Miror (inquit) Gelliũ lib. 16. hoc inter fabuloſa æſtimare potuiſſe, cum hiſtorica fide nihil diſsimile Strabo prodiderit: & multis de locis C. Pliniꝰ author cumprimis grauis, paria memoret. uelut libri 2. cap. 47. de Dalmatiæ ſpecu in quem deiecto leui pondere, quamuis tranquillo die, turbini ſimilis emicet procella. quod & apud nos (*Heluetios*) in proximis alpibus Abbatis cellæ (ita pagus Heluetiorum uocatur) ingenti & altiſsimè demiſſo ſpecu fieri obſeruauimus. Verùm talium fortaſſe cauſam ueriſimilẽ quis retulerit? Maiora alibi mirabilioraq́ extant: quorum haud aliud cauſæ poſsit afferre mortalium quiſpiã, quàm diffuſæ (ut Plinij uerbis utar) per omnia naturæ ſubinde aliter atq́ aliter numen erumpens. Iam in Heluetia prope Lucernam ueterem & percelebrem urbem, mons eſt præaltus, quem ob fragoſam aſperitatem, & præcipitem altitudinem, etiamnum uernacula lingua Fractum cognominant, alienæ linguæ durante ueſtigio Fracmónt. Infra cuius æditiſsimum uerticẽ lacus eſt, Pilati cognomento, anguſtus admodum, & palus ueriùs quàm lacus. in quem de induſtria iniecta maximas tempeſtates ciere, & omnia undis opplere aiunt: quæ uerò caſu incidant, nihil irritare eum, tãquam planè humano ſenſu culpa carêre, quod caſu fit, intelligat. Capit res fidem, quòd pacatum irritare auſos, mox fuiſſe capite plexos ob illatã accolis calamitatẽ, oppidani referũt. Ego anno ſuperiore cũ menſe Auguſto Lucernã ueniſsẽ lacus uiſendi gratia, humaniſsime exceptus, & in ipſum poſtridie montẽ eductꝰ ſum à doctiſsimo

Specus prope Abbatis cellam.

Palus Pilati.

& uerè ingenuis moribus prædito Ioanne Xylotecto canonico Lucernate, comitantibus nos Oſualdo Myconio erudito, & pleno ingenui candoris homine, & Conrado Grebelio Tigurino Grebeliæ meæ fratre ſpectatiſsimæ indolis adoleſcente. Ac prima quidem luce oppidũ egreſſi, in mediam ferè montis altitudinem, equis difficili ſanè nec admodum trita uia uehebamur. mox equitandi amplius cum copia non eſſet, iumentis in proxima paſcua dimiſsis, & conducto qui nos anteiret paſtore, baculis nixi, reliquum altitudinis pedites arctiſsima ſemita, quaq; non cuiuis iter fuerit, per ingentes hinc & inde rupium anfractus ſcandendo exuperauimus. Demumq; non ſine ſudore ad paludis marginem peruentum eſt. Mós ipſe cætera ferè prçceps, eo in loco paſcuus eſt, & ingenti ſeſe ambitu in ſpeciem orbis inclinans ualle profunda reſidet: ipſo in meditullio lacum ſuſtinet, tenui tantum iunco ueſtitum, & horrida iuxtà clauſum ſylua: quòdq; ſolum adeunti religionem incutiat, alto undiq; ſilentio ſeptum. Nullus in eũ riuus influit, nullus exit. aqua nigricans, phlegethontæa & pluſquàm paluſtris immota iacet. nec uenti facile torpentem excierint. Auſtro enim & Zephyro reliqua montis pars altiſsimè aſſurgens latè obducitur. Ab Euro & Aquilone loci profunditas, & quam dixi denſa ſylua tuetur. Mirum autem hybernis eum niuibus nó creſcere, nec rurſum æſtiuis contrahi caloribus, deſide aqua perpetuo (ut ferunt) tenore ſuos ſeſe intra limites continente. Illud retulerim, nos in aſcenſu, à paſtore illo qui ducebat, tantùm non iurisiurandi ſacramento adactos fuiſſe, ne quid importunius tentaremus uiſo lacu, aut ne quid inijceremus. Capitis ille ſui aleam ludi aiebat, iterũ iterumq; modeſtiam, atq; etiam ſilentium tanquàm ad ſacra perduceret, expoſtulans. Qua re, ut ueteri loci famæ quicquam tribuerem, non parum, fateor, commotus fui. Quanquam fabuloſum eſſe conſtat, quod de Pilato quidam ſomniarũt, cerni eum quotannis in lacu (*die veneris ante Paſcha proximo*) uidelicet iudicis habitu, nec annum ſuperuiuere poſ-

ſe

ſe qui uiderint,magna uanitate. Hæc enim mortalium leuitas eſt,ut locis naturæ numine aliquo inſignibus fabularum præſtigias adnectant: & interim natura neſcio quomodo comparatum,ut non difficile credāt, qui audiunt, religionis ui quadam ad hoc ipſum nos alliciente, & in hanc etiam credulitatem rerum nouarum adeūte cupiditate. Porrò uerum ſit néc ne,quod de memorato lacus ingenio conſtans accolarum fama circunfert, ne nunc quidem dixerim, cum experiri mihi non licuerit:ac ne ſi licuiſſet quidem,id facere ſine magno diſcrimine potuiſſem. Sed pleraq; tamen omnia ut recipiam,multorum experiētia & authoritate deprehenſa,confirmataq; naturæ miracula omnibus propè in partibus eius inſignia mouent: ut interim non referam, eum mihi loci genium uiſum eſſe, qui in loco præſertim tam ædito,haud difficile natæ de ſe famæ reſpondere poſsit. Adeò enim excelſus mons eſt,ut à prima luce ad lacum uidendum,mox ad ſummum montis uerticem egreſsi,& citra moram longo deſcenſu ad equos reuerſi,occiduo iam Sole cum noctis principio urbem ingreſsi fuerimus,duabus plurimùm horis ad cibum medio in monte capiendum inſumptis.

Hucuſq; Vadianus,quem ego miror dubitaſſe & inclinaſſe in eam ſententiam animo,quaſi naturalis aliqua cauſa ſubſit,unde uel minima quauis re iniecta tempeſtates & imbres horrendi ab ipſo mox lacu excitentur. Quanquā enim & ipſe intelligo multarum in natura rerum rationes nos latere,quas interim eſſe naturales nemo diffiteatur:ſapientes tamen uiri in pleriſq; omnibus etſi de cauſis dubitēt,neq; certas aut proximas adferre ullas poſsint, (ut cur magnes ferrum attrahat,) ſimpliciter ſaltem an ſecundum naturam eueniant,aſſerere poſſunt. Certè natura quid caſu,quid ſtudio fiat,non diſcernit:nec aliter ſtipulę ſiue caſu inciderit ignis,ſiue de induſtria fuerit iniectus, exardeſcent. Benigna & benefica eſt natura, & in ijs quæ ad rerū generationem ac ſalutem pertinent, quanquam ratione careat,tam commodè,tam ſcitè omnia facit,tāquam ſum

ma ratione prædita foret.idq́ meritò. non.n. ipſa principium eorum quæ præſtat intra ſeſe habet,ſed influente ſuperiore ac diuina uirtute,quæ ratio rationum eſt,agit quę agit:& tanquam inſtrumentum artificis manu regitur: ut qui naturæ opera ceu ipſius propria miratur, non minus ſit ineptus,quàm qui pulcherrimorum ædificiorũ & machinarũ laudes ſecuri,ſerræ & dolabræ attribuerit. Quod ſi etiã diſcernere poſſet natura, quid caſu,quid induſtria fieret, nó ideò foret malefica: aut ſi de illis à quib⁹ foret cótempta ſe uellet ulciſci,non etiã in alios innocentes circũ quaq; magis q̃ bellua ſæuiret. Solent.n. plerunq; belluæ, ut urſi & leones,in illos ſolùm uel maximè uel ante alios ſæuire,à quibus læſæ fuerint. Non igitur hæc maleficia ad ſcribemus naturæ,quæ ad malos genios & homines maleficos & dæmonum pollutos cómercio pertinent. Multæ ſunt aliæ in alijs montibus ſimiles paludes, quædã etiã maiores & profundiores: circa quas tale nihil contingit: quod fieri deberet ſi ſecundum naturam cótingeret. Multa ſępe inijciuntur,etiam impura,in puras & ſaluberrimas aquas,in rapidos & limpidiſsimos fluuios,in maximos & piſcoſos lacus, in quibus longè maior naturæ maieſtas ſplendet. Sed nemo hoc naturæ contemptum interpretatur, nulla inde uindicta. In parua ergo,inutili,immobili,nigra & Stygia palude natura contemnetur? E tantilla aqua inundationes ſubitò erumpent? nubes (ut quidam putant) & imbres ſtatim è terra aſcendent? non deſcendent è ſublimi? Atqui natura ſubitò & ſine præcedentibus ſignis nihil facit. neq; ex minimis ſtatim maxima producit. Non igitur natura eſt ſi quid in illo lacu maleficum eſt: ſed dæmon aliquis,ſiue Pilatum ſiue alio nomine illum appelles. Plena ſunt autem dæmonibus omnia, qui per incredulitatem & ſuperſtitionem multa ubiq; mala excitant. maximè uerò in ſolitarijs & neſcio quam religionem prę ſe ferentibus locis,ſuam uim ſuasq́; præſtigias oſtentare ſolēt. Quòd ſi quis uerè pio & fidente animo ſe illis opponat,ſoli diuinæ gratiæ & auxilio nixus, & neque diuinitus neq;

cundum naturam fieri quæ ab eis fiunt cōſtanter ſibi perſuaſerit, & fortiter eum contempſerit: ille proculdubio tum corpore fortunisq́; illæſus, tum animo tranquillus permanebit. Contra ſi qui à gratia & luce diuina quæ uniuerſum illuſtrat mundum auerſus, in ſpeluncas & tenebras abierit, multa illic horrenda & malefica ſpectra, & uanos innoxiosq́; pijs (qui unicam cœleſtem lucem, & Chriſtum iuſtitiæ Solem adorant) uarios huiuſmodi Panicos terrores inueniet. Hæc hactenus, non contra Vadianum, uirum doctrina & pietate clarum, quem poſteahanc dubitationem depoſuiſſe, & rem totam ceu prorſus ſuperſtitioſam agnouiſſe, ab hominib⁹ fide dignis accepi. Hoc etiam mihi conſtat ante annos non ita multos, uirum bonum & eruditum, in paludem illam baculum inieciſſe, & Pilatum uerbis nominatim contempſiſſe, neq; tempeſtatem ingruiſſe ullam. Quòd autem non rarò loca montibus ſubiecta, præſertim altioribus, & è quibus torrentes defluunt, diluuia ſua experiantur, cauſa in promptu & naturalis eſt. nam & pluuijs aquis & niuibus liquatis torrentes augentur: & interdum (quod rariùs fit, & uulgo admirationem parit maiorem) ex ampliſsimis latentibus & hypogeis cauernis, uel tempore uel alia ui, locis luxatis, concuſsis, perfractis, aquæ in eis collectæ, ſiue ſtagnantes, ſiue aliò diffluere ſolitæ, erumpunt, inq́; proximi torrentis alueum ſe exonerant. Et cum è monte Pilati quoque torrens ciuitatem uerſus rapido impetu feratur, quid mirum ſi loca illa ſiue manifeſta ex cauſa, ſiue latente interdum (ut dixi) inundent? Nullum nos Tiguri dæmonem aut Pilatum cauſamur, torrente & erumpente Sila noſtra: nullum Baſilienſes, cum ciuitatem infeſtat ſuo tumore Byrſa: nullũ aliorum locorum, quorum innumera idem patiũtur, incolæ.

IACOBVS de Voragine Epiſcopus Genuenſis, ordinis fratrum prædicatorum, qui claruit circa annum Domini ducenteſimum nonageſimum à milleſimo, Lombardicæ hiſtoriæ de uitis & hiſtorijs ſanctorum author, in ti-

tulo de paſsione Chriſti ex libro quodam apocrypho de Pilato ſic ſcribit: Tiberius Cæſar Pilato iratus propter Ieſum ab eo condemnatum & crucifixum, cum Romã perduci iuſsiſſet, carceri eũ incluſit, donec deliberaret quid de eo fieri oporteret. Data eſt in Pilatum ſentẽtia ut morte turpiſsima damnaretur. Audiens hæc Pilatus, cultello proprio ſe necauit. Cognita autem Cæſar morte Pilati, dixit: Verè mortuus eſt morte turpiſsima, cui manus propria non pepercit. Mole igitur ingenti alligatur, & in Tiberim fluuium immergitur. Spiritus uerò maligni & ſordidi, corpori maligno & ſordido congaudentes, & nunc in aquis, nunc in aëre rapientes, mirabiles inundationes in aquis mouebant: & fulgura, tempeſtates, tonitrua & grandines in aëre terribiliter generabant: ita ut cuncti terrore horribili tenerentur. Quapropter Romani eum à Tiberis fluuio extrahentes, deriſionis cauſa Viennam deportauerunt, & Rhodano fluuio immerſerunt. Sed ibi quoq; nequam ſpiritus non defuerunt, ibidem eadem operantes. Homines ergo illi tantam infeſtationem dæmonum non ferentes, uas illud maledictionis à ſe remouerunt, & illud ſepeliendum Loſannæ ciuitatis territorio commiſerunt. qui (*cuius incolæ*) cum nimis prædictis infeſtationibus grauarentur, ipſum à ſe remouerunt, & in quodam puteo mõtibus circumſepto immerſerunt: ubi adhuc relatione quorundam quædam diabolicæ machinationes ebullire uidẽtur, Hæc ille. Nõ eſt autem dubium de noſtro Pilati monte eum ſentire, qui etiamſi ad Lauſanenſem epiſcopatum non pertineat ea parte qua palus continetur, illi tamen uicinus eſt, & meridiem uerſus ueteres epiſcopatus illius terminos ingreditur.

EX FELICIS MALLEOLI TIGVRINI INter nobilem & ruſticum Dialogo, cap. 32. Claruit author circa annum milleſimum quadringenteſimum triceſimum quartum. Relinquam autem eius dictionem etſi parum Latinam, vt ea ætas tulit.

Cum

Cum nobilis ruſtico tempeſtatum concitationis cauſas enumeraſſet, tum naturales, tum artificiales, quæ miniſterio dæmonũ & hominum eueniunt: alio etiam modo mirabili eaſdem aliquando concitari addit. Nam in monte Fracto (inquit) Cõſtantienſis diœceſis, ſub cuius pede Lucerna oppidum cum lacu ſitũ eſt, †tres lacus in uertice montis fundantur, inter quos eſt unus rotundus quaſi, & latitudinis unius iugeri, communiter lacus Pilati nuncupatus. Et utiq; talis ineuitabiliter ibidem modus (concitandæ tempeſtatis) à tanto tempore, cuius initium nõ eſt in hominum memoria, ibidem cõpertus (eſt.) Quòd ſi quis hominum acceſſerit & tacuerit, & aquam (nec) uerbo nec facto commouerit, continuò illæſus abibit. Si autem uerba quæcunq; protulerit, & pręſertim Pilatum nominauerit: aut rem quantumcunq; modicam in aquam proiecerit, aut ipſam tetigerit uel cõmouerit, mox etiam cœlo ſereniſsimo tempeſtas oritur ualidiſsima in regione nubium: & grandines, niues & pluuiæ ſequuntur intolerabiles, ac ſubuerſionem terrarum ad pedes montium ſitarum comminantes. Imò prout docuit experientia uiolenter propter cauſas prædictas ſubuertit ſæpe terras, agros & prata circuniacentia, & multas oppidi prædicti partes. At ſi bos, equus uel alia beſtia ad lacum acceſſerit, intrauerit uel exiuerit, nullum malũ exinde cõtingit. Et ideo cuſtodes perpetuò deputantur in montis aſcenſu, ne per accedentes damna terræ inferantur. Sed utrum tales grãdines artificialiter aut naturaliter, aut Dei uindicta cotingant, maiorum diſputationi relinquamus. Porrò de monte & ſepultura Pilati, prout dicitur, ibidem exiſtentibus, aliqui libri †Petri Lombardi, qui dicũtur Lõbardica de uitis ſanctorum, in titulo de paſsione Domini, faciunt notabilem de prædictis Pilato, & monte & loco mentionem. Eſt tamen argumentum magnum quòd huiuſmodi tempeſtates de illius aquæ commotione fiant naturaliter, quia prout prædictum eſt fortaſsis aqua iam dicta propter montis præeminentem celſitudinem, tangit regionem aëris in qua grandines generari ſolent. Sed ob-

Hodie duæ tantum paludes viſuntur, vt ſupra ſcripſi: ex quibus maior longè à iugeri magnitudine abeſt, niſi circuniacentem etiam terrã paluſtrem lacus nomine comprehendas.

Iacobi de Voragine.

ſtat quia per alterius animalis tactum talia non apparent. Et fortè ſi penitus à crimine purus accederet homo, talia non contingerent. peccatis uerò contaminato coniunctus, facit ipſum magis tale, & prouocat aliâs faciliter prouocãdum. Nam & aſinus Balaam angelum uidebat, quem propheta peccatis ſuis exigentibus uidere non poterat.

Lacus ſimilis inter Bononiam & Piſtorium. Mons Veneris.

Conſtat mihi quòd in alpibus inter Bononiam & Piſtorium ciuitates, prope caſtellum Sambuci ſimilis mons eſt, & lacus eiuſdem diſpoſitionis ad prouocandum tempeſtates horribiles. Et ſupra diximus de monte Veneris ad tempeſtatis coruſcationem ſæpe prouocato. Sed quid dicemus ad hoc quod legitur Ioannis quinto? Angelus Domini deſcendebat in piſcinam probaticam, & mouebatur aqua, & ſanabatur unus homo. Et nimirum ſi propter maledicti corporis Pilati præſentiam ibidem ſepulti, aliquis angelus malus deſcendit in aquam tam maledictam, non tantum homo, ſed & terra, nec non hominum poſſeſsiones inficiuntur. Sed de hac materia pleniſsimè uide Thomam in tractatu de Sortilegis, Hucuſq; Malleolus.

SCaphagiolus lacus modicus in Apennino, qui inter agrum Piſtorienſem atq; Mutinenſem ſublimatur, miraculo magis quàm aquarum copia mirabilis, &c. Boccatius, idem de eo narrans quod de palude Pilati fertur.

DE CIBIS SIVE OPERIBVS LACTArijs quibus in monte refecti ſumus.

DE lacte & operibus lactarijs libellum iam olim ędidi. quamobrem nunc breuior ero.

Lac optimum, pingue & ſuaue.

Crema lactis, qua feruefacta panis offas aut ſegmenta perfundunt. ein Nydelbrot.

Butyrum recens & ſuauiſsimũ. Caſeus. Recocta ſimplex, ex lacte recocto, butyro & caſeo iam ſeparatis. Ziger.

Recocta pinguis condita polline foliorum imperatoriæ, ſunt qui & lotum odoratum & dauci montani genus addant.

addant. talem alicubi uocant Mütterziger/à loco, ni fallor, ubi præſtantior ſit.

Serum caſei, id eſt à caſeo ſeparato reliquum. Suffy.

Serum butyri, à butyro ſeparato relictum. Anckenmilch. Hæc in monte. In urbe uerò uaria & lautiſsima caſeorum genera inuenimus, ex quibus Engelbergenſem maximè probarim, à quo butyri nihil ſeparatum uidetur, præpinguem, ſuauem, mollem & (ni fallor) oxygalactinum, quem medici probant. Is apud Subſyluanos circa Engelbergam cœnobium conficitur, modico ambitu. nam bini ferè drachma uæneunt. recens tantum placet.

DE STIRPIBVS DIVERSIS IN *eodem monte repertis.*

LONchitis altera ſcolopendrio ſimilis, latioribus longioribusq; folijs. inferiore montis parte.

Elleborus albus.

Silybus, quam uulgò carlinam uocant, Germani radicem apri, in colle dextro uallis Eijetalę. cuius capitula carnoſa, calyce, floribus ac ſemine reſectis, optimi edulij loco nobis fuêre ex aqua cum ſale, lautiora etiam pipere adiecto futura.

Conyzæ alpinæ genus, ſeſquicubiti aut amplius proceritate, corymbis florum luteis. fibris radicum albis, plurimis & conferctis, ſubamaris. à pecore non attingitur. Paſtorum pleriq; Böni uocant, aliqui Goldkrut.

Vitis Idæa nigris acinis.

Vitis Idæa rubris acinis, acidior & minus grata.

Rubus Idæus fructu rubi ferè, abſq; ullis ſpinis. humilis planta, lignoſa radice. folijs rubi uel fragi. acinis binis, ternis, aut ſingulis in uno fructu. acido ſapore. in ſaxo.

Herba cerui ut quidam appellant, ſed alia quàm elaphoboſcon: folijs chamædryos, lignoſa, repit, ſubaſtringit, inſipida ferè. ſemine lanuginoſo, ut uitis ſylueſtris cauſtica ferè. flos iam defluxerat. albus eſt, ſi bene memini.

Sedi aut phylli genus minimis omnino foliolis,cinereis ferè, & circa radicem conferctis in orbem, floſculis albis.

Sedi minoris genus floſculis luteis,uel croceis,ſplendidis,maculoſis,pulcherrimis.

Imperatoria ſiue aſtrantia,laſerpitium Gallicum quorundam.

Pimpinella maior,umbellis purpureis, radice efficaci & ſucci plena.

Muttelina uulgo dicta,qua recoctam condiunt,Muttri. eſt autem dauci aut cari montani genus . radice ſimplici, oblonga,nigra, & circa caput ſetoſa.

Reperitur & alius in eodem monte daucus montanus, breuiſsimis & minutiſsimis folijs:quem quidam nulla ratione Wolfwurtz/id eſt,lupi radicem uocari aiunt. Naſcitur in ſummo loco quem Widerfeld appellant (ad quem nos non peruenimus,radice ſimili,dulciori.

Meum quorudam,bärwurtz/ut paſtor ſummæ caſæ aiebat,paulò infra uerticem montis intra ſaxa quædam uix acceſsibili loco prouenit.

Allium alpinum,uictorialis,Sigwurtz/ in altis collibus cum à ſuprema caſa dextrorſum aſcenderis.

Anemone quædã alpina.radice nigra.capitulo ſeminũ hirſuto,& lanugine inſtar uitis ſylueſtris cauſticę referto. Pulſatillæ,quã Itali uocãt,cognata. Paſtores aliqui Bitzwurtz appellant,quod cataplaſmatis inſtar uenenatis morſibus impoſita pecori ſalutaris ſit.

Roſa alpina,ut paſtores nominãt, Alproſen/nõ magnis, ſed roſeis & odoratis floribus.frutex totus ſuauiter odoratus eſt,folijs ferè oleæ.Doctiſsimus Vlyſſes Aldrouãdus nerion alpinum uocat:ego potiùs lêdon alpinum. Herba eſt calida & ſicca initio tertij gradus.

Lunaria arthritica, ſpecies quædam arthriticæ, luteis floribus,ſed longè odoratioribus.Flůblůmen.

Argentaria,ſpecies herbæ ſtellæ ſiue pedis leonis.

Pinguicula,ut ficto à nobis nomine appellatur.Florem cœruleum,ut uiola Martia,profert,inodorum.folia humida,

da,mollia,læuia,abſq; neruo (ni fallor) ut lingulaca uel ophiogloſſus. naſcitur in paluſtribus.

Gentiana omnium minima, fibris radicularum amariſſimis. **Bitterwurtz.** Huius radicularum fragmenta alij aliorum cibis clam intermiſcent, ut decipiant & riſum in conuiuio moueant.

Alia gentianæ ſpecies, folijs ferè aſclepiadis illius, uel apocyni, quam hirundinariam noſtri uocant, floribus cœruleis. **Groſſe bitterwurtz.**

Gentiana punicea, **kleine Entian.** floribus puniceis, radice lutea, amariore quàm gentiana magna.

Gentiana magna, **Entzian.** floribus luteis, ſuperficie & radice cæteris maior. Huius tantum ueteres meminerunt.

Aconitum utrunq;, id eſt, luteum & cœruleum.

Polygonati genus erectum.

Muſcus urſinus uel pes urſinus uulgo dictus, alijs lupi pes.

Ornus, **Wieläſchen/groſſer Mälbaum.**

Viola Martia, Ranũculus paruus cauſticus, Tuſſilago: hę oẽs iã defloruerant, ſpecie diuerſæ à uulgaribus, quę humilioribꝰ locis naſcũtur: folijs minoribus & ſolidioribus.

Ranunculus albus maior, qui & in hortis colitur flore denſo.

Trollius flos, ut noſtrũ uulgus appellat, & in hortos etiam transfert, coronarius eſt, nec alius ex ea uſus. neq; enim ad ulla remedia utilis, neq; uenenata eſt, ut quidã ſuſpicati ſunt, tanquam aconiti genus, ex foliorum cum napello ſimilitudine decepti. Flores ſunt lutei, ampli, & uelu ti in globum collecti, nulla calyce, inodori ferè. ij iampridem defluxerant.

Herba quam aliqui uocant Noli me tangere, flore pallido aconiti lycoctoni: neq; ſine ueneno, nt conijcio. Tragus inter tithymallos numerat, & eſulam ſylueſtrem appellat, neutrum probo. Siliquæ eius contactu diſsiliunt.

Herba folijs aſpleno perſimilis, cauliculis ab una radice quinq; aut ſex, duos ferè palmos longis, & ſpicam flo-

rum ſuſtinentibus, ut orchis feré. Cognatam iudico pedi-
culariæ Tragi, quam Germanicè Rodel nominat.

Sunt qui & doronicum & ſeſeli illud, quod noſtri phar macopolæ uulgò ſiler montanum cognominant, in iugis huius montis reperiri dicant. nos in hoc nõ reperimus, ſed in alijs quibuſdam Heluetiæ montibus abunde.

In ſpelunca quadam per ſummum mõtem, ut diximus, fornici adhærens naſcitur ſubſtantia quædã fungoſa, alba, leuiſsima, friabilis, quam fungum petræũ dixeris, uel agari cũ ſaxatile, ipſi Monmilch appellant, id eſt lac Lunæ, à ſubſtantia alba & ſpumoſa ex qua cõcretus uidetur hic lapis, ſi lapis dici meretur. Si aquæ miſceatur, albo lactis colore eam inficit. Odor & ſapor nullus. Siccat ſine morſu. Nulla in eo aſperitas, & totus cũ ſaliua mandentis liqueſcit, præſertim qui melior fuerit: nam & craſsior aſperiorq; reperitur. Superſtitioſe & ſtultè quidam aduerſus quemcunque morbũ ægroti cuiuſuis, propter quem expreſſo ipſius nomine è ſpelunca petatur, ſalutarem eſſe putant.

DE MOROCHTHO LAPIDE, QVI VEL idem eſt cum illo quem iam deſcripſimus: vel certè cognatus, & viribus iiſdem.

Morochthus (Μόροχθος) lapis, quem aliqui galaxiã, aut leucographida uocauerunt, in Aegypto naſcitur. quo, ut pote molli, & facile liqueſcente, linteones dealbãdis ueſtibus utuntur. Spiracula corporis obſtruere uidetur: cõueniens ijs, qui ſanguinem expuunt, cœliacis & ueſicæ doloribus, cũ aqua potus: & fluxionibus uuluæ ſimiliter, & impoſitus uelleri. Mollibus (id eſt nihil acre, mordax aut uehemens habentibus) oculorum collyrijs miſcetur. explet enim caua, atq; delacrymationes ſiſtit. Idem cerato exceptus, ulcera, quæ fiunt in teneris partibus corporis, ad cicatricem perducit, Hæc Dioſcorides lib. 5. cap. 109. uel ſecundũ alios 152. Galeno ſimpliciter deſiccat, nec ullã aſtrictionem, morſum, aut abſterſionem præ ſe fert. Videntur aũt mihi cum deſcriptio tota, tum facultates omnes egregiè

giè cũ fungo petręo noſtro conuenire. Matthiolus Senenſis & Amatus Luſitanus hunc lapidẽ ſibi ignotũ fatentur. Ge. Agricola in Saxonia Germanię regione effodi ſcribit unà cũ terra Alfeldæ. (Encelius etiã paſsim in Saxonia naſci, pręcipuè Hildeshemij.) Vt aũt ex rubris ſaxis (inquit Agricola) fit hæmatites & ſchiſtos, ita ex albis & quidem calcarijs ſimilibusq́, morochthus. quẽ quia lineas albas, ut creta ducit, quidã iccirco leucographida uidentur nominaſſe. Sed hic & Encelius, de eodem lapide ſentiãt, quẽ dixi lac Lunæ appellari à noſtris, an diuerſo (quod ſuſpicor) affirmare nunc non poſſum. Germanicũ quidẽ eius nomen illi nullum afferunt. cæterũ lineas albas noſter etiam morochth9, cretæ inſtar, ducit, ſed min9 albas, minusq́ pingues: & propter mollitiẽ facillimè cõfriatur, cuius gratia etiam à linteonibus & fullonibus eum expetitũ puto, ꝙ nulla duritiei & aſperitatis detrimento dealbare poſsit.

Galaxiam aliqui galactidem uocant, ſimilẽ proximè dictis (*peregrinas quaſdam & nobis ignotas proximè nominauerat, nec eodẽ colore: ut fortè legendũ ſit* dicto. i. *epimelani, quæ gẽma proximè dicta eſt, cui in candido ſupernè nigricat colos, ſiue hoc gemmæ alicuius nomen peculiare ſit, ſiue commune ad huius coloris gẽmas*) ſed intercurrentibus ſanguineis aut candidis uenis, Plini9.

Et mox, Galactides (*Dioſcoridi galaxias & morochthus*) ex uno colore lactis eſt. Eandem dicunt leucogæam (*leucam aliqui, ut Matthiolus*) & leucographiam (*leucographidem Dioſcor.*) appellant, & ſynnephiten, lactis ſucco ac ſapore notabilem. (*Synnephites nomen videtur præcedenti galactitæ magis conuenire, à colore nubium fuſco vel epimelane: cui Dioſcorides cinereum colorem tribuit: ſuccum trito lacteum, & ſaporem dulcem, quæ duo Plinius ad Leucographidem, id eſt alterum hunc galactiten tranſtulit & confudit.*) In educatione nutricibus lactis fœcunditatem, infantium quoq́ alligata collo ſaliuam facere dicitur, in ore autem liqueſcere. Eandem memoriam adimere dicunt. Mittit eam & Achelous amnis.

FINIS.

IOANNIS DV CHOVL G. F. LVGDVNENſis Pilati montis in Gallia deſcriptio.

Strabo lib. 4. Cemmenus mons.

CEMMENVS mons in Pyrenen medios per campos rectà perducitur, & in medio deſinit prope Lugdunum ad ſtadia duo M. prolixus. Hic pro uarietate locorum & gentium, ſicut Liguſticum mare, immutare frequenter nomen ſolet. Lugdunenſes ex eo quidem (ut plurimi aſſerunt) ſublime iugum habent, incolis omnibus Pilati uoce notum: & ab eo Iudæorum rectore ſic uocatum fama uulgauit, qui Chriſtum cruce affecit. Verùm ut ordiar ab initio, loci celebritas in tanta Galliarum æſtimatione, quanta Olympus apud ueteres Græcos fuiſſe fertur. Nam præter illa præclara & egregia quæ poſsidet, habet profectò aliquid fati, quod, niſi ei qui uiderit, nemini ſit credibile. De uarietate omnium rerũ quæ in his locis uideãtur, ne à ueritate deflectam, lituram quidem non addere inſtitui. Mons altiſsimus ex Oriẽte Viriacum, Beſſam pagum in occaſu habet. Longitudo nemoris, quo ueſtitur & ornatur, decem perficit milliaria: latitudo ſtadia dena complectitur. Quæ colli adhæret altera ſylua, longè amplior, ſoli Pilatini non eſt. Intonſi montis radices abluit Doybius fluuius: qui acceſſu riuorum iam grandis, Rhodanum intrat: ſed antea amni Gierio commiſcetur. Vbi Doybius hybernis niuibus intumuit, ex monte demiſſus atq; Pilatino digreſſus, quãto magis procedit, huc & illuc diſpergitur. Primo tantæ ſyluę acceſſu ſunt Doyſienſes à Doybio modico flumine, religione clari homines, opibus infimi, nec apud eos pro probro paupertas habetur: quapropter animus harũ gentium eodem modo quæſtui & ſumptui deditus. Ingens ille lucus magno illis eſt uſui: ligneamq; ſupellectilem ubi cenfecerint, ne per otium torpeſcant manus, impuberes in urbem deportant. Frumenti enim & pecuniarum egeſtas

Pilati mõs.

Viriacũ & Beſſa pagi.

Doybius fluuius.

Gierius flumen.

Doyſienſes ruſtici.

ſtas ſtrenuos eſſe iubet. Quod attinet ad uictus rationem ruſticæ plebis, maximè tenues fructibus aluntur, & pecori plerunq; parcitur, impenſis alienis aiunt edaces eſſe. Feſto die cum è ſacris ædibus redeunt, more maiorum ſuorũ inuicem epulari conſueſcunt, ludere, ſaltare, luctari. Agreſtes illi contra feruidos æſtus aut rigorẽ frigoris eadẽ ſemper induti toga, calciamẽtis ferè ſemper centũ adacti claui, ne citò terantur. Vt uerũ dicam, illuſtrius eſt ueſte ingeniũ. Mulieres ſatis uenuſta forma: illæ pſallere in ſyluis, & ſaltare manibus nexis patrio equidẽ ritu bene norunt, Pane canente, tibijsq; uariè ſonãtibus: unus eis & idem perpetuò motus, uibrantur in altũ brachia, ij dem pedes, manus tum demum protendunt: omnis ſaltatio uehemens. Nondum iunctos connubio iuuenes *Bacchelardos* uocant, (feſtiuè dicamus à Baccho deriuatum nomẽ:) *Caligneros* in Prouincijs nominant, eos qui uehementer amant. Tam amœnum igitur ſolum magno nobis erit in precio, licet benigniùs ſapinos quàm homines alat. Et profectò terra ipſa pabuli potius quàm frumenti ferax. Via qua itur ad Pilati uerticem, primùm præceps & contorta, ubiq; fruticibus cincta. Locus, ſi uerius loqui decet, ſua natura paruis in ordinem diſtinctus collibus, qui quaſi ex induſtria ſimul annexi ſunt, nunc ad buccinam recurui, & aliquando in dorſum elati, aliqui in orbem circumacti: alius alio procerior, frequens aſcenſus, crebrior deſcenſus. In gremio rupis iacet uda illa & quieſcens palus, quam Pilati puteum uulgus nuncupat. De hoc multa & uaria incolæ prædicãt, Pilati monumentum arbitrantes: & ab eo horridam tempeſtatem primùm inchoare referunt. Quantùm ego obſeruare potui, id falſum eſſe contendam. Nam in uertice Pilatini nemoris fit huiuſce rei cõiectura. Procreatur enim nebuloſa quædam exhalatio, quę ſtatim aut futura tonitrua, uel imbres ſignificet. Fit præſagium hoc pacto: Si caligo aquilone flante in altum conſurgat, ſudum denotat: aliter conſidere continenter ſolet: & hoc pluuiæ manifeſtum ſignum. Sunt qui dicant indicium pluuiæ ex *Bauſſeuerio* im-

Bacchelardi.

Calignaires.

Pilati puteum.

Bauſſauier.

primis oriri.Locus eſt procul à palude ſtad. centum. De hac re fatali ipſe mecum ſic cogitabam, ut liquore è terra egreſſo,in ſublime tollatur fumida quædã exhalatio, quæ radijs Solis fugata eiuſdem calore diſſoluatur. Penetrabile ſua natura id ſolũ reſpirare uidetur. Quòd ſi quis dicat abietum cauſa id maximè fieri,quaſi ſapini ex ſuis uiſceribus,ex ſuis alimentis hoc ipſi terræ concedant: quid reſpondeamus paratum eſt. Mirum eſt,dicet quiſpiam cur in reliquis nemoris Pilatini partibus eadem non generetur nubecula : An quòd locũ proprium ſortita fuerit,cui partes reliquæ humorem ſubminiſtrent?Aperti illi hiatus terræ uaporem reddunt,ad quos coguntur,aut uento aut aëre incluſo,uel natura,aut facili reperto itinere,aut conſuetudine quadam,uel diuinitus, reliqui accedere.Phyſicas rationes philoſophis hominibus relinquo. Quando diuina factum eſt prouidentia,quid iuuat ſeſe torquere & diſquirere?Sciunt aliqui cur ſit in AEtna monte ignis perpetuus.Cur Magnes ferrum ſecum trahat, uirum arbitror ſcire neminem.Redeo ad id unde diuertimus.Pilati puteus ſiue palus,ruderib⁹ aut quiſquilijs repleta fuit, ne quid detrimenti pecora caperent. Matronæ lepidè quidem dixerunt quodam in quadriuio paſtorem olim in palude cũ ouibus ſubmerſum,nec amplius uiſum:pueri confirmant caſu quodam poſt aliquot dies fuiſſe in Rhodano repertum.Quid ſit Pilati puteus incolæ in hunc uſq; diem ignorarunt:primus ipſe dicam perquiſita diutius re & mox inuenta.Puteus ergo qui ſic dicitur, Gierij fluminis modici, de quo ſumus loquuti,uera profectò origo eſt. Huiuſce fluuij tanta eſt nobilitas,ut ſecum uehat aurum , quaſi ſit in monte antea congenitũ.Plinius fluminum ramentis inueniri aurum tradit,ut in Tago Hiſpaniæ,Pado Italiæ,Hebro Thraciæ, Pactolo Aſiæ, Gange Indiæ. Galliæ flumina prætermiſit. Nam in Rhodano inuentum uidi alijsq; fluminibus.Arpalones (ita uocantur apud nos qui aurũ inueſtigare aſſueſcunt) docent præcipuè eſſe illis in fluuijs Galliæ,qui ſunt articulo Grammaticorum maſculi.Rhodani

Quid Pilati puteus.

Gierius fl.

Fluuij auriferi.

Arpalones.

dani aurum ita purgare ſolent: Arenæ, quæ ex ripa flumi- *Aurum ab arena ſeparandi ratio.*
nis aſſumptæ ſunt, diutius culeo agitatæ multoties lauantur, atq; hydrargyro ſuperinfuſo ac mox aduſto, quod fuit repertum elluceſcit. Nihil, ut arbitror, referre poteſt an propriè ſint rudera aut ramenta, ſabulũ uel lutum. In Giério alius ſolet modus obſeruari. Viri ad dimidias uſq; nates aqua teguntur, manuq; apprehendunt arenas, in quibus ſi fuerit aurum, ſtatim refulget in magnitudinem milij. Tam magnifici auri inuentores rarò innocuam illã Fortunam extollunt, dies noctesq; accuſant, arguunt ut ridiculam & fallacem. Certum ædepol in uitibus colẽdis amputandís ue uberius eſſe lucrum, quàm in pretioſi auri cupidiſsima perueſtigatione. Spes tamen tantæ mercedis, imò nominis, quoſq; allicit, & in ſe retinet occupatos. Ada *Auri vis.*
mas cùm ferrum ignemq; contemnat, quis neſcit auro adamantinas perfringi fores? Bona quibus uiuimus, auro quidem comparantur. Superiori palus altera *Bauiſer* anne *Bauiſer.*
cti poteſt: plus tamen ſceleris, quàm amœnitatis habet: idcirco de ea non libet plura dicere. Nouum crimen, nefarium, admirandumq; facinus, nouam tormenti alicuius inuentionem quid intereſt ſignificare mortalibus? Vtinam impiorum ſceleratorumq; uita non extaret, non facta legerentur. Ad id quod eſt dictu non indignum feſtinat narratio. Fons prope ſolitudines tantæ frigiditatis conſpici- *Fontis mira frigiditas.*
tur, ut bibentibus intumeſcant ora, manus in eo continere propter rigorem non licet: exhauſta lympha, ut perhibẽt, nunquam minuitur, neq; infuſa augetur. Ferunt illam aquam crebris lapidibus percuſſam, certo anni tempore cogi ſtatim tonitrua. Non ſcire, non diuinare potui qua potiſsimum cauſa id accidat. An frequenti ictu luctari flatus in nubibus poſſunt? frigida calidis, ſiccis humida pugnare? Quieſcit fortaſſe perpetuò ea parte aëris anceps tonitu, eamq; ſibi propriam elegit ſedem diro oſtento. Itaq; laceſsitum uicinorum quadam uerberatione, citò murmurare & uno impetu tonare incipit. Sed generatum quo pacto latere poteſt, inquit ſophiſta acutiſsimus, ut nó cor

ruat motus mixtus & uiolentus? Si omnia quæ mouentur, cum peruenerunt ad proprium locum, quieſcant, ſuũ domicilium inueniſſe credatur. Quæ ex alto ſunt & Phyſici & ignari hominis mentem ſuperant. Mutationes temporum, curſus aſtrorum, rerum uiciſsitudines, terras & maria, ipſumq́; hominem, totumq́; mundum unus Deus regit & moderatur. Quæ autem extat mortalium eruditio, ex improbo quodam labore eſt, & mente propè diuina, longaq́; rerũ obſeruatione. Et illis ſanè plurimùm debemus, qui cruciatus omnes corporis, omnem uim ingenij in literis ampliandis poſuerunt. Poſtquam in Naturæ prodigijs ſumus, ac penè de re fatali diſſerimus, ordine quod eſt reliquum proſequamur. Extat hodie Fatalium domus, quæ uocem illam antiquam, *Des Fages*, retinet, palatium procul à ſylua V.M. paſs. mea ſententia id uetuſtiſsimum eſt: tantarum ædium magnificam ſumptuoſamq́; excellentiã demõſtrat ſatis quæ ſupereſt luctuoſa ruina. Nocturni lemures baſilicam illam (ut aiunt) diutius frequentarunt. Ego cum adfuiſſem, eiuſmodi ludibria non uidi. Non me præterit tamen dæmones in ædibus priuatis aut publicis eſſe, ſuper aquas, etiam in agris. Nõ longè à uilla noſtra, immò noſtro in fundo, locus nomine *Torropanes* à noſtris ruſticis perbellè in uico Longiarum colitur, illuſtratur & noſtro amœniſsimo nemore. A terrore Panico fundum illum dictum putarim, quaſi ſit ueriſimile Pana ſatyroſq́; agrum illum habitaſſe. Frugiferos & admodum fertiles habet campos, quædam etiam inuia & aſpera, ſed crebri fontes & riuuli decorem & ornamentum præbent. Solum hoc (ne quis ab hiſtoria me putet diſcedere) in oſtijs Pilatinæ ſyluæ iacet. Pluribus ego diuitijs libenter id decorarem, ſed uereor ne uehemẽs noſtrarum rerum opinio, quibuſdam ſuſpecta foret. Formidabilis ſuo uerbo prominet pagus, monti finitimus, *Tartara* hodie accolæ uocant, nec immeritò. Nam agreſtes illi carbonarium negotium exercent, & ſubterraneis quaſiq́; cameratis mõtium in antris carbones effodiunt. Colles opere nunquam nudantur, ſi quis recte

Fatalium domus.

Torropanes

Longiæ pagus.

Tartara pagus.

ctè diſquirat. Gradatim ad ipſum faſtigium conſcendam⁹. Eſt in eo latè diffuſus campus: qui ſubinde frãgit ſe in duo cornua, maiore Rhodanum proſpicit, cœlumq́ fulcire ui detur: altero ſinuat reliqua. Eſt locus, *Agenoliere*. Is confer tus multis lapidibus pro colle habetur. De oraculo D. Sabini cùm conſtans non ſit fama, non eſt hominis ingenui aliquid incerti referre. Scio equidẽ, ut ſi quis ſe in orbem uertat, ſenſim propendere reliquos montes, modò uertice ſtriatos, nunc in mucronem emiſſos, nunc imbricatim coëuntes arbitretur. Ab ortu eſt porrectus alius collis ſatis de ſe conſurgens, intus quaſi replicatus, foris effuſus: quo magis ſurgit, exilior. *Tridens* appellatur ingens id & horrendum ſaxum, nullis obductum herbis, pruinis ac nebulis paſcitur. Nullus ad id acceſſus: diceres pro abietum cuſtodia congenitum. Omnium rerum ſunt quædam in alto ſecreta. Eadem uia tugurium apparet non ſolùm ſilentio, ſed cogitationibus deditũ. Qui abietum aſſeres concinnant aut ſerrant, in eo pro more habent epulari. Hoc ferarum magis quàm hominum receptaculum aſſueuit regere inſigni corporis mole uir, expers humanitatis, uegetis oculis, impexis crinibus, demiſſa barba, ſqualidus, pannisq́; obſitus, pectore ſemper aperto & muſcoſo, ut uix inter ſapinos dignoſci poſsit. Hic loquentia promptus, facie enormi potiùs quàm honeſta ac liberali, caperata fronte, euntes aut abeuntes propoſito pignore ad luctam inuitat. Tam robuſtus pentathlus quos uibrare fertur ſilices, duriſsimis in arboribus remanent. Quid humeris deportarit ſcit ipſe Atlas, Bacchus uerò quantum uini uno prandio hauſerit. Pro condimento illi perpetua quædam fames, quæ etiam uulgaria uorare uideatur. In numero partium iure quodam collocandus Calcis mons propter excellentiam conſpicuus, & quo Graij illi agricolæ gloriari medius fidius poſſunt. Ludit in multis rebus Natura. Sponte quadam ubiq; fractus modò opacum, modò apricum locum præbens: quaſdam intrinſecus decliues uias, quæ per muſcoſos gradus uariè ſcindantur. Beſtiolis lo-

Agenoliere collicul⁹.

D. Sabinus.

Tridens.

Calcis mõs.

cus eſt ille tutus, quibus ſine periculo homines inſidiari non queant. Herbis gratiſsimũ perfugium, facilè ſine pœna legi non poſſunt. Collis amœnitas ad contemplationẽ obuios tantum inuitat: hunc enim conſcendere homines nec ſcalis poſſunt. Herbidæ auium illæ ſedes, uimineæq́; circùm latebræ, & in umbonem turgidę partes, quaſi gemmatæ, abeuntes ne citò tranſeant remorantur. Nihil à Natura procreatum ſine aliqua occultiore cauſa.

Foſſæ.

Ad Foſſas ſubſequitur locus, quaſi ad Cannas dixeris, propter atrocem cladem. Cæſæ proſtratęq́; copiæ, ad Foſſas hoſtium ſepultus exercitus. Qua ætate uel queis cum gentibus bellum hoc geſtum fuerit, non ſatis conſtat.

Plantæ.

De plantis nũc dicere conuenit. Illæ delectationis aut ualetudinis tuendæ gratia procreatæ, ſilentio non debent prætermitti. Primùm, quoniam nouitate homines ducuntur, has tradamus oportet, quæ à maioribus, ut arbitror, nõ fuerunt cognitæ.

Herba deſerta.

Herba deſerta, gentili uoce, nomẽ Latinũ nondum inuenit: folia habet pinus ſed admodum breuia: natura humi ſpargitur: hac euulſa abigi tonitrua uolunt, uel quę hãc ſecum ferant infœcũda ſunt animalia, ſi ruſticis credatur.

Lucas Ghinus. Cacalia.

Lucas Ghinus Cacaliam appellauit, quæ paſsim nemore Pilatino legitur, folio latiſsimo, parte altera candicante. Agreſtes initium diræ tempeſtatis ex ea præſagiunt, cum folium ſenſum labatur flectaturq́;.

Sambucus montana.

A



A. Folium Cacaliæ.

B



B. Herba deſerta.

Sambucum mõtanam nominãt aliqui eo in luco frequentem, fructu uuarum modo congeſto, rubente, & ſine umbella. In ipſo penè montis umbilico paſsĩ cõſpicitur humilis admodum frutex, *Airelles,*

Airelles.

relles, aut *Aurelle* nominant. Claudius Miletus Græcis Latinisq́ literis doctus medicus Lugdunenſis quid eſſet *Aurelle* libenter me docuit. Eſt enim, inquit, Vitis Idæa Theophraſti: naſcitur ea parte Idæ quam uocant Phalacras, fruticoſa, uirgis paruulis & ramulis cubitalibus ferè exporrigitur, quibus acini laterales nigri adhærent, magnitudine fabæ, dulces, qui lignum uinacei modo intus continẽt, folium rotundum, paruumq́. Itali (ut accepimus) *vua dolce* hanc uocitant. Huic uis inebriãdi, ut experti ſunt aratores. Cùm dicat Theophraſtus magnitudine fabæ, ſciendũ eſt fabæ nomen apud Græcos piſum noſtrum ſignificare.

Vitis Idæa Germanis Heidelber[…] Tragus pin[…] git et deſcri[…] bit falſo myrtilli no[…] mine lib. 3. cap. 13.

Fabæ nomen.

Naſcitur ad latera montis, ſed admodum rarò, *Treilly* arbor uulgò dicta: Tiliã fœminã nonnulli uocant, alij † ſorbum torminalem, alij loti ſpeciem eſſe dicunt. Eſt hęc humilis, materie quaſi nigra, fructus (maturo luteus color) ſuo quiſq; annexus pediculo in formam ceraſi dependet: ſerò manditur, ſed ſuaui ſapore. In ſeptem partes ferè ſemper diſſectum folium, non tamen æquis portionibus, media linea intercurſante. notam † maioribus non crediderim. Loti ſpecies quædam, ut mihi dixit medicus doctiſſimus, ea ſylua creuit pyri magnitudine, folio per ambitũ ſerrato, parte aduerſa colos cinericius, bacca ſubnigra: amygdali amari omnino guſtum ſemen retinet. Abietes Pilati, quas ſapinos nominant, folia inſecta pectinum modo & in ordinẽ diſpoſita habent, pungentia dici non queunt, apice inciſa modicè. Abietũ umbra innocua, niſi differentiam locus faciat. Ramum abietis ſapinum uocari me docuit inſignis Phyſicus. Elleborus niger, uerbaſcum, meon, aliſma, alchimilla, † platini ſpecies, carpinus, fagi, ilices montem pertinaciſsimè onerant. Ex animalibus quæ per ſyluam uagantur, feroces apri à ruſticis reformidantur: rarò ceruos ſe uidiſſe ruſtici dicunt, nec damas. Aquilarum & accipitrum genus frequens. Plura ſunt quæ propter loci celebritatem dici poſſent: ſed ꝙ uicini montes habeant, parum prodeſt memorare.

Treylli arbor.

† Vide Tragum lib. 3. cap. 30.

† imò Plinio lib. 15. cap. 31.

Loti ſpecies

Abietes Pilatinæ.

† Forte aceris.

Animalia Pilati montem inhabitantia.

FINIS.

IOANNIS RHEL LICANI STOCKHORNIAS, QVA STOCKHORNVS MONS ALTISSIMVS IN BERNENSIVM HELVETIORM AGRO VERSIBVS HEROICIS DESCRIBITVR.

Tiguri apud Geſneros.

ET PIO, ET DOCTO VIRO, D. PETRO CVNZENO, ECCLESIASTAE BERNENSI, IOAN. RHELLICANVS, *bonarum literarum apud eoſdem profeſſor, Salutem & conſcientiæ pacem exoptat per Chriſtum Ieſum.*

QVOD ſeriùs promiſsis meis ſto,doctiſsime Cũzene, in noſtra montana peregrinatione deſcribenda:non mihi,ſed Sirio imputãdum eſt. Hoc enim ſidus quamuis ęſtus & ſiccitatis cauſa,ſingulis annis ſit:tamen neſcio an eius uis ullo unquàm ætatis meæ anno, peſtilentior fuerit. Segetes nanq;,plantas,arbores,herbas,gramina,& holera ante tempus areſcere fecit. Nec minore interim ui in omne animantium genus deſæuijt.Siquidem ex nimia hepatis ſiccitate,ſitis: ex ſiti,potus intẽperãtia:ex ea mille peſtes cũ in hominibus, tum pecudibus ortæ ſunt:dyſenteria,ac reliquę lues.Quũ igitur caput meum etiã per reliqua anni tempora languoribus obnoxium ſit:in hoc flagrantiſsimo Sirij æſtu, temperandum mihi ab iſtiuſmodi meditatione fuit.Ne tamen ocio totus marceſcerem,noſtram,hoc eſt tuam, Chriſtiani Dannmateri,Theſei noſtri fidiſsimi,ac Telori peregrinationem (quam Stockhorniadem à promontorij deſcriptione appellare lubuit)mane ac ueſperi (quando Caniculæ æſtus nonnihil deferbuerat) meditatus ſum.Eam igitur tãdem quomodocunq; abſolutam,nemini potius quàm tibi dedicandã cenſui: quippe omnium noſtrûm patrono,non in hoc tantum itinere,ſed etiam hîc.Quocirca mi Cunzene,Stockhorniadẽ noſtram eo animo ſuſcipias uelim,quo ego tibi eam nuncupaui: hoc eſt,ſyncero, candido,& tui amantiſsimo.Tuũ ergo nunc erit, clientem te deamantem redamare. Vale,Bernæ.12.Auguſti.Anno 1536.

* * *

STOCKHORNIAS.

NOX erat, & cœlo radiabant ſidera toto,
Luciferiq; ortum cantu prædixerat ales:
Peruigil accelerat ſtratis, ſimul ocyus omneis
Voce Simon vocat: omnes ſurgimus ilico lectis.
Induimur, ientamur, corripimusque bacillum
Quiſque ſuum, niueum, veſtigia certa tenere
Quo liceat: montis penetrare cacumen in altum.
Dum cliuum ſuperaſſemus, comes vnus & alter
Agglomerat ſeſe: quorum vnus colle tametſi
Nutritus forét, aſtrorum tamen ille meatus
Natura didicit duce ſola. nanque coruſca
Stella Iouis magni mortalibus illa ſalubris,
Non ignota meat. non eſt incognita Martis,
Horribilis mundo, rutilans, & ſtella cruenta.
Non comites Solis, Cyllenius, & Venus alma:
Enſifer Orion, qui multos concitat hymbreis.
Nouit Vergilias orienteis tempore verno.
Vt ſtabulum attigimus, placet hîc requieſcere iuxta
Fonticulum, & ſacco Cererem depromere noſtro,
Et capreæ carnes: depromere dulcia vina.
Quîs vbi corpora noſtra refecta fuêre, ſubinde
Inceptum per iter, ſcopulos, rupesque per altas
Scandimus: interius dum cornu montis adhæret.
Iuxta quod lacus eſt viridis, non piſcibus aptus, Lacus.
Ima valle ſitus, qui terram † more Arethuſæ,
Alphei fluuij ingreditur, præruptaque ſaxa
Sic penetrat, donec ſpumanteis exerit vndas
Non procul à pago, cui nomen * Riuus & alnus.
Limpidus hîc, gelidus, fons viuus valle reducta
Colliculo ſcaturit, certans cum Blanduſiano
Fonte, gelu ſpectes, vitreum ſeu forte liquorem.
Hîc iterum menſam ſtruimus, laſſataque membra
Sternit humo, quicunque cupit guſtare ferinam,

† Vt Alpheus Arcadiæ fl. in Achaia abſorptus per ſubterraneos meatus in Arethuſam Siciliæ fontem influit.
* Erlibach

Qui Cereris donum, veteres qui caſeolosq́ue.
Nympha ſitim ſedat fontis Stockhornia noſtram,
Dum pincerna ſedet propè fontem pocula præbens.
Vina etenim ſeruare placet Ripenſia, donec
Nos Stockhorne tenes, conſcenſo vertice ſummo.
Poſtquam exempta fames, & amor ceſſauit edendi,
Pergimus: & varias herbas hinc inde notatas
Gentiana. Cunzius oſtendit: quam formam Gentidis herba,
Elleborus niueus quam vim medicam gerat, infit.
Innumeras alias herbas monſtrabat, & alpes
Brendli. Quos generant flores: quorum vni fuſcus, & ater
Eſt color: ac odor eſt moſcho fragrantior ipſo.
Radicem inſtar habet palmæ geminæ, hincq́ue vocatur
Manus Chriſti. Chriſtimanus. Nobis mora ſic tum fallitur, atque
Scanditur alta crepido dein vix lata pedes treis.
Vnde iterum in campos, & paſcua læta venimus.
Donec per ſcopulos, & ſaxa minantia tandem
In iuga Stockhorni peruenimus: vnde ſub ortum,
Vallis nomen eſt. Stagna, lacus, torrenteis † Simmæ, Arulæq́ue fluenta,
Oppida ſpectamus, campos, viridantia prata.
Occiduas ſed equos vbi Phœbus mergit in vndas,
Innumeros monteis ſpeculamur, ut æquora lata.
Pauimus vtq́ue oculos, ſtomacho latrante paramus
In medio ſcopuli menſam: depromimus armum
Strepſicerotem, & infra capream quoq; , impropriè pro rupicapra accipit. † Strepſicerotis, tum Cererem, dulcem quoque Bacchum,
Caſeolos veteres: qui condimenta fuêre
Heluetijs atauis noſtris, exotica quando
Nullus aueret aromata, bellaq́ue nullus amaret.
Dum prandemus ita, accelerat bumulga iuuentus
Lactea dona ferens mulctris, tenuesq́ue placentas.
Menſa ſecunda fuit nobis hæc grata perinde,
Attica ceu quondam bellaria grata guloſis.
Nanque alius lac potabat, βὄτυρον edebat
Aſt alius: iuuat hunc ſed preſsi copia lactis.
Poſtquam exempta fames, ſitis atque repreſſa fuiſſet,

Surgitur: atque animi cauſa deuoluere rupem
Auulſam ſcopulo placet, ac audire ſonantem,
Non ſecus ac tonitru, ſcopulis dum immumurat altis.
Hæc ſatis atque ſuper quum nobis acta fuiſſent:
Omnibus eſt animus deſcendere † Premnocerote. † id eſt Stockhorno monte.
Ecce in deſcenſu quiddam mirabile viſu,
Alpeſtris gallina ſtatim præteruolat omneis:
Accola ſaxoſam quam gens idcirco vocauit,
Quod ſaxo gaudet, necnon veſcatur arenis, Steinhůnli
Magna tecta niue. hæc, bombardam dum iaculantes
Intendunt ſemel ac iterum fruſtra, tamen iſtîc
Hæſitat immotim, donec confixa lapillo
Bombardæ, ſcopulo cecidit tum proniter alto.
Lapſa iacens roſtro ſpectabilis illa repando,
Ac varijs plumis nobis diſtincta videtur.
Pergimus in ſtabulum tum nobis forte propinquum,
Atque inibi rurſus ſaturamur lacte bouino
Multiplici: acceptum quod donum iure nepoti
Cunzeni ferimus. Dein cuncti aſcendere cliuum
(Qui culus ob dominam Mutrinus ritè vocatur) Der Mutrinen aſier.
Pergimus: vt liceat currenteis ſtrepſicerotas
Cernere ibi porpiùs, de ſummo vertice montis.
Sed fera nulla fuit nobis conſpecta quòd illic,
Fortunam culpare libet: venatica nanque
Cura, manusque fuit nobis præmiſſa perita,
Quæ capreas ſcopulis circum circa latitanteis
Exciret, ſed nulla fuit conſpecta ferarum.
Proinde placet cunctis cliuo deſcendere ſummo
Paulatim, non lata via eſt, ſed longa crepido.
Commodiore via tandem deſcendimus inde,
Quàm prior aſcenſus fuerat: nam planior iſta
Tritior atque fuit multò: geſtare ſolebant
Hàc etenim butyron, & omnia lactea dona.
Attigimus rurſum tandem Erlinbacchia prata,
Hoſpitiumque vetus poſtquam hîc repetiuimus omnes:

Corpora curantes, laſſataque membra quieti.
Pauliſper dantes: en magna caterua virorum
Nos vocat ad cœnam laute, oppipareque paratam.
Vnicus ad cœnam eſt agilis, præpesque Telorus
Vnà cum puero venit: quod feſſa labore,
Corpora feſſa forent aliorum, æſtuque diurno.
Quæ res perdoluit, non tam quòd corpora laſſa
Noſtra forent: quàm quod conuiuis ſoluere grates
Erlinbachiorum liberalitas. *Haud liceat, toties quòd ſuſcepêre benigne.*
Nam ſemel, ac iterum magno ſuſcepit honore
Concio magna virûm, iuuenesque, ſenesque periti.
Vina etenim donans totius nomine gentis,
Vir venerandus erat: ſi ſpectes ora diſerta,
Neſtor erit Pylius: ſi latifundia ſpectes,
Venner Lebenher. *Alter Crœſus erit: Lenherrius atque vocatur.*
Signifer ille fuit, dum vires corporis adſunt.
Venner wolff. *Excipit at Lupus hunc, & lampada ſumit ab illo.*
Tertius hinc quæſtor, quo non humanior alter
Concelebrans cœtum, nos excipit ore benigno.
Hîc veteris mores penitus non eſſe ſepultos
Comperimus noſtræ Heluetiæ, veſtigia multa
Simmæ vallis habet, peregrinos ritè fouendo.
His ita tranſactis, valediximus omnibus: atque
Muneris ipſorum memores nos eſſe futuros
Donec vita comes, cuncti promiſimus. inde
Poſtera dum Solis luxiſſet lampas in orbe,
Bernam multijugam cuncti remeamus in vrbem.

FINIS.

COROLLARIVM AD LIBELLVM DE *rebus noctu ſplendentibus.*

Vituli marini oculi ſplendent, & ſubinde in mille colores ueluti hyænæ oculi tranſeunt, Plinius.

Circa initium lacus Podamici oppidum eſt Brigãtium, cui ſylua adiacet Brigantina, in qua martes reperiri audio noctu lucentes, unde nomen eis Germanicum impoſitum **Liechtmarder** uel **Zündmarder**: ſed noſtri pelliones nihil certi de ijs habent. Splendent & oculi uulpis, ut audio: & ſi fortè uulpes mãſueta domi infra gallinarum ſedilia fuerit alligata, obtutu ſuo ſplendoreq́ adeò percellit gallinas, ut prę metu delapſæ in prædam ei ueniant. Gręci quidem lãpuron uel lampurin uulpem nominant, aliqui uulpis genus cauda albicante interpretantur. nomen hoc à caudæ ſplendore factum apparet. Harengæ in Oceano Britannico denſiſsimis agminibus natant, & nocturno ſquamarum ſplendore ipſæ piſcatoribus ſe produnt. Ferunt & oſtreorum ueterum quorũdam teſtam ſuperiorem interna ſui parte lucere per noctem.

DE GEMMIS NOCTV LVCENTIbus, *vel aliter cum Luna communicantibus.*

CHryſolampis in AEthiopia naſcitur, pallidi coloris die, & noctu ignei, Plinius.

Catharinam Angliæ reginam Henrico VIII. nuptam, (& à regis morte Thomæ Seymoro maris præfecto) gemmam in tenebris lucentem, in annulo habuiſſe audio. rubinum fuiſſe putant.

Circa Pallenen Thraciæ montem, ut author eſt Dionyſius Afer,

φύεται ἀστέριος καλὸς λίθος, οἷά τις ἀστὴρ

Μαρμαίρων, λυχνίς τε πυρὸς φλογὶ πάμπαν ὁμοίη. aliâs λύχνις legitur paroxytonum maſculinum, & mox πυρὸς φλογὶ πάμπαν ὅμοιος. hoc eſt,

Naſcitur aſterius pulcher lapis, & micat inſtar
Syderis: & lychnis ſimilis ſplendore lucernæ.

Vbi Euſtathius in commentarijs,Lychniten lapidem (inquit) alij Selenitem uocant, quòd occulta quadam ui cũ Luna communicet,ſicut & electrum quod à Boryſthene cognominant (ὁ βορυσθενίτης ἤλεκτρος) de quo ante ſcripſimus:& pariter cum illa creſcit atq; decreſcit, Hæc Euſtathius. Scripſerat autem paulò ante poëta, circa hoſtia fluuiorum Aldeſci & Panticapis in mare glaciale ſe exonerãtium naſci electrum,

ἡδυφαὴς ἤλεκτρος ἀέξεται, οἷά τις αὐγὴ
Μήνης ἀρχομένης. quod eſt,
Prouenit electrum ſuaui ſplendore, ſuasque
Luce ſimul Lunæ damna incrementaque prodit.

Hîc Euſtathius electrum pro gemma aliqua intelligendũ ait, non pro lachryma populi, (uulgò enim ſuccinum eius arboris lachrymam eſſe credebant.) quam illius ſententiã ego non probarim. Conſtat enim ex oris ad Septrentionẽ remotis electrum in alias regiones mitti, & electri gemmę nullus, quod ſciam, authorum meminit. quanquam ſcio eruditis quibuſdam lyncurion idem eſſe electro : quod à multis imperitis lapis ex urina lyncis coalitus credit. Succinum quidem & ſplendidum eſſe conſtat, & ſympathia quadam affici ad Lunam fortè putarunt aliqui, quòd Lunari, id eſt comitiali morbo aduerſetur. Superius tamen ubi poëta Celtas dixerat circa hoſtia Eridani δάκρυ' ἀμέργεσθαι χρυσαυγέος ἠλέκτροιο, hoc eſt, Electri lachrymas legere auricoloris, Electrum (inquit) hîc nõ ſignificat miſcelam ex auro & argento (quatuor auri portionibus, argenti una) ſed lapidem quendam auricolorem, ex quo manubria etiam cultrorum fiunt, à quibus ita attrahuntur paleæ, ut à magnete ferrum. quòd autem non uerè lapis ſit hoc electrum, ſed arboris lachryma in ſpeciem lapidis concreta, ueterum quidam tradiderunt. Hæc de electro, quando & ipſum lunaris quidam ſuccus eſt, (nobis quidem bituminis genus eſſe conſtat,) non temere digreſſus dixerim. Sed plura de ſelenite addam, & lychnite, quæ ad intelligenda ueterum ſcripta & horum lapidum cognoſcendam plenius

nius naturam nonnihil conducant.

Selenites ex candido tranſlucet, melleo fulgore, imaginem lunæ continet, redditq́ꝫ eam in dies ſingulos creſcentis minuentisq́ꝫ numero, naſciq́ꝫ putatur in Arabia, Plinius. Eadem Dioſcorides de ſelenite lapide: ſed candidum & tranſlucidum facit, non mellei fulgoris, quem Plinius & huic, & myrſinitæ tribuit gemmæ. Non igitur una gemma erit lychnites & Selenites ut Euſtathius putauit. Sed ſelenites ſpecularis eſt lapis: Lychnites uerò (inquit Ge. Agricola) ardet, (igneo ſcilicet colore,) quæ & lychnis dicitur ꝙ ſimilis ſit flammę lucernarũ. naſcitur in ſcopulis Pallenes, quæ eſt peninſula Thraciæ: circa Orthoſiam cautem, totaq́ꝫ Caria ac uicinis locis. cæteris antecellit Indica, quam quidam, ut Plinius inquit, remiſsiorem carbunculum eſſe dixerunt. Hæc ille: interpretatur autem Germanicè ein gilbichten rubin/ id eſt rubinum coloris pallidi uel giluі. Sed candidum marmor etiam lychniten lapidẽ uocatũ, quòd ad lucernas effoderetur tradidit Varro. Carbunculi gemmæ ſpecies eſt rubinus noſter (inquit Enceliꝰ quem aliâs dicere poſſumus lychniten. Et Albertus teſtať carbunculum anthracem dici à Græcis: eumq́ꝫ lucere in tenebris tanquam carbonem, ſuperfuſa aqua limpida clara, in uaſe uitreo mũdo, polito. Ge. Agricola aſteriũ, eriſtalin & opalum diuerſis locis communi uocabulo Germanico interpretatur, ein Weſe. aſtroiten uerò ein Sigſtein/ ꝛc.

EMENDANDA.

Pag. 6. *verſu* 13. *his verbis*, Facile enim halitus quidam, *adde*, craſsiuſculi & pingues uel bituminoſi accendi poſſunt, in regionibus præſertim & temporibus calidis: qui qui propter tenuitatem & noctе tantum ardere uideãtur, & herbis ipſis eandem ob cauſam nihil officiant. nam tenuiſsimus ignis minimum aut nihil urit. Huiuſmodi ignes legimus noctu in uarijs locis interdũ apparere, præſertim

uerò circa templa & cœmeteria, ubi ex defunctorũ corporibus multi pinguesq́; halitus prodeunt: quos uulgus conſpectos reformidat, dæmones quoſdam uel manes exiſtimans, idq́; eo magis quòd afflatus ex eis ſæpe ſint noxij. ſed noxam in halitus huiuſmodi putrefacti naturam reijcere conuenit: quam timor etiam auget. *Pag.9.verſu.19.hæc verba* Seruius Tullus VI. Rex Romanorum, *in margine legi debent, non in contextu.p.13.ver.24.lege* quadam.20.8.ipſorum. *p.23.ver.4.poſt* habet. *adde,* quamobrem conijcio ſaniculã noſtram guttatam, paulò poſt deſcribendam, eſſe hanc craſſulam maiorem Pandectarij. nam & forma & uires reſpondent. *P.29.ver.20.in margine adſcribendum: Eſt & alius lapis Phrygius, gleba pumicoſa, quam aliqui pro lyncurio vendunt. p. 34. ver.19. lege* depingendas mihi commodabat.*p.36.ver.11.*Lunaria. *Pro* Matthæolo *paßim legendum* Matthiolus. *p.41. ver. vltimo,* Ariſtotelis. *p.45.ver.9.*annum. *p.46.ver.30.poſt hæc verba,* conceſſam intelligant,*adde. Deinde ne à commoda aſcenſus via aberraremus. p.53. ver.26.lege,* aliquando. *64. 21. lege* læuorſum. *67. 17. Adſcribatur in margine, Galactides, vel potiùs galactites, Plinij duplex. 69,26, in margine, lege, puteus.*

RERVM ET VERBORVM MEMORA-bilium in hiſce libellis index.

A

Abietes Pilati 75
Aconitum pardalianches 40
Aconitum primum 38
Aconitum vtrunq; 65
Adamas 71
In Aëre lucentia 2
AEthiopis herba 16
AEtnæ ignis 70
Agaricum ſaxatile 66
Aginoliere colliculus 73
Aglaophotis 13
αἰγωπός *color* 4
Airelles 74
Alabaſtri 13
Albanus mons noctu ardere viſus. 11
Alchimilla 75
Aldeſcus 84
Alexander Peierus Scaphuſianus. 38
Algæ genus quoddam. 13
Aliſma 75
Allium alpinum 64
Aloiſius Romanus 27
Alyſſon 29
Ambulatio conducit 51
Ammonius citatur 2
Ammonius de ſole 2
Anagniæ tunica arſit 11
Anemone alpina 64
Animalia lucida 2
Animalium quorundã oculi cur noctù quàm diu acutius cernant 4
Animalia Pilati montem inhabitantia 75
Anthullia 42
Anticyra 33
Antiperiſtaſis 7
Antitora 41
Antora 42
Apæſantus mons 17
Aphroſelenos lapis 18. 28
ἀφροσέληνος 29
Aproxis herba 15
Aqua vbi melior 49
Aqua diuina ſeu cœleſtis 5
Areæ 6
Argemon 21
Argentaria 64
Arianis herba 15
Ariciæ prodigium 11
Ariſtot. locus ex 2. de anima, ca. 7. explicatur
Arnoldus Villanouanus 2
Arpalones 70
Artemilla 38
Arthritica lunaria 23
Aſphaltus 15
Aſphaltites lacus ibidem
Aſpleno ſimilis herba 65
Aſterion 21
Aſtrantia 64

Ateſtæ inuentum Epigramma. 5
Auguſtinus Maynardus 40
Auricula vrſi 25
Aurũ ab arena ſeparẽdi ratio. 71
Aurellæ 75

B

Bachelardi 69
Baldus mons 40
Bauiſer 71
Bauſſauerius 69
Beſſa pagus 68
Bitterwurtz 65
Groſſe bitterwurtz 16
Bitzwurtz 64
Bodamicus lacus 83
Bolbonac 26
Böni 63
Borra 22
Βορυσθενίτης ἤλεκτρος 84
Brendli 80
Brigantium 83
Bubonion 21
Bulbonac 27
Byrſa torrens 59

C

Cacalia 74
Cœlum ac terra quando viſa ardere. 11
Calcis, mons 73
Caligneri 69
Calices roſarum 13
Candela ardens. 11. & exhalatio quædam.
Canes extrahunt herbas. 14. et 15
Canes marini 13
Canes Delphines 4
Capra cornibus ardentibus 12
Capræ noctu cernũt 4
Carpinus 75
Carlina 63
Caſtor & Pollux 7
Caſtores ſiue Polluces 8
Caſtores quomodo fingibantur. 9
Caſtores ſtellæ 6
Catharina Angliæ regina 83
Cemmenus mons 68
Chenomychos 17
S. Chriſtophori herba 36
Chryſolampis 83
Chymiſtæ quid Lunariæ tribuant. 18
Chymiſtas inſectatur 19
Chymiſtæ medici 20
Cicindela 5
Cinis mons 42
Claudius Miletus medicus 75
Clauis diaboli herba. 35. Semen eiuſdem ibidem
In Cœmeterijs ignes 10. & 11
Colores 2
Colores ſanguinei 6
Colorata in lumine videntur 3
Concij prodigium 11
Conradus Forerus 30
Conſiligo 33
Conyzæ alpinæ genus 63
Cornificius pag. 1
Cornu in tenebris cernitur 2
Cotonaria 17
Cotyledon 22

Craſ-

Craſſula minor 22. & maior ibidem.
Craſſula petræa 22
Crema lactis 62
Crux Grammaticorum pag.1
Cynoſpaſtus 13
Cyrenaicæ prouinciæ rupes 54

D

Dæmonia abiguntur 15
Dalmatiæ ſpecus 55
Daucus montanus 64
Delphini 4
Διαφανὲς 29
Dodonæi error 33
Doronicum 66
Dorycnium 18
Doybius 68
Druidarum reliquiæ 52

E

Elaphoboſcon 63
Electrum 84
Elleborine 31
Elleborine etymon 38.34
Elleborus albus 63
Elleboras niger 75
Elleborum 33
Empiricus Bernenſis 35
Engelberga cœnobium 63
Engelbergenſis caſeus 63
Entlebocha 52
Epicurus pane & aqua contentus. 47
Epipactis 31.32. & 34
Equi glaucis oculis noctu vidēt pag.4
Equorum pili micantes 6
Equorum auribus cur adhæreāt ignita metæora 10
Erice 32
Erinaceus 7
Erlinbach 79
Ad Esij forum prodigium 12
Eſula ſylueſtris 65
Eupatorium 37
Eyetala 46.47

F

Faba inuerſa 42
Fabæ nomen 75
Fagi 75
Fatalium domus 72
Fatuus quis 10
Fatuus ignis 10
Febris tertianæ remedium 50
Feles noctu cernunt 4
Felium oculi cur noctu luceant 4
Felix Malleolus Tigurinus 60
Fides non habenda ſemper miraculis 47
Filicaſtrum 36
Filix Lunaria 35
Filicis genus ſingulare 46
Filipendulæ 42
Flammulē tam ætheris naturam participant 3
Flůblůmen 64
Fluuij auriferi 70
Fœnum 51
Folium montanum 23
Foſſæ 74
Fons aduerſus febres 50

Fontis mira frigiditas 71
Foueæ 6
Frigidæ potus 49
Fungus in tenebris cernitur 2
Fungus petræus 66
Fuxa 17

G

Gabriel Falloppius
Galactides 67
Galaxia 66.67
Gallinæ montanæ 47
Gallus quidam reprehenditur. 33
Ganges 70
Gemmæ lucidæ 2
Gemul 17
Gentianæ ſpecies 33
Gentianæ alia ſpecies 65
Gentiana punicea 65
Gentiana magna 65
Gentiana minima 65
Gentiana 80
Gierius fluuius 70
Glauci hærba 21
Goldkrut 63
Gorıſſa 18
Goritienſis ager 25
Guilielmus Gratarolus 40
Guſtus 48
Gylippo ſtella ſuper lanceam conſtitit 8

H

Hæmatites 67
Haleſinæ fons 54
Harengæ oculi noctu lucidi 3
Harengæ 83
Hebrus 70
Heidelbere 75
Helena dira ac minax 7
Helena ignis exitialis 8
Herba cerui 63
Herbæ quædam qui fiat quòd noctu luceant 6
Hernioſi medicina 22
Hiatus 6
Hippocampus 13
Holitha 21
Hyæna 83
Hyæna noctu cernit 4

I

Iacobus de Voragine epiſcopus Genuenſis 59
Ibices 46
Ignis 2
Ignis remotior 3
Ignis in tenebris et luce videtur. 3
Ignis præcedens & ſequens 7
Ignes qui animalia inſtar fulminum feriunt 8
Ignis lambens capita 8
Ignis fatuus 10.11
Ignis inter pila militum fuſus 11
Ignes cœleſtes veſtimenta aduſſerunt 11
Ignis Vitoduri in turri viſus. 12
Ilices 75
Imperatoria, herbæ genus 64
Induſium ſcintillans & crepitãs 6. ratio eius. ibidem
Io. Franciſcus Maluetius Veronenſis 38

Io. Kentmannus 21
Irides 6
Iuliana 23
Iulij obſequentis prodigia 11
K
Kappenblůmen 42
L
Lac lunæ 54
Lac & lactaria opera 62
Lagopodes 47
Lampuros vulpes 83
Lapis ſpecularis 28.29
Lapis noctu lucens Heracleidi à ciconia donatus 3
Laſerpitium Gallicum 64
Ledon alpinum 64
Lenherrius 82
Leucogæa 67
Leucographis 66
Liechtmarder 83
Ligna putrida 6
Lingua ſeu Lingulaca 26
Lituus alpinus 52
Lombardica hiſtoria 59
Lonchitis 63
Longiæ pagus 72
Lopichcruit 38
Loti ſpecies quædam 75
Lucas Ghinus 74
Lucerna ciuitas 45
Lucerna piſcis 3
Lucerna multis annis arſit 5
Lucentia in tenebris videntur 3
Lugdunenſes 68
Lumen maius minus offuſcat 3
Lumina ardẽtia vbi appareãt. 11
& eiuſdem ratio ibidem
Luna nocte & die conſpicitur. 2
Lunæ humor ſeu ſpuma 17
Lunatici 18
Lunaria herba videtur fictitia. pag. 1.
Ex Lunaria remedium 28
Lunaris herba 21
Lunariæ tres deſcriptiones 21
Lunariæ alia deſcriptio 21
Lunaria Chymiſtis quæ 17
Lunaria maior 35. & 36
Lunaria minor 30.33
Lunaria vbi reperiatur 18
Lunariæ aliæ plures non lucentes noctu 23
Lunariæ minoris Fuchſij. ubi copia proueniat 35
Lunaria alpina 37
Lunaria arthritica 64
Lunaria craſſula 22
Lunaria græca 26.18
Lunaria odorata 28
Lunaria Petræa 30
Lupi noctu cernunt 4
Lux quæ noctu tantum ſplendeat, eſt pag. 1.
Lux non ignea, ſed ætherea 2
Lux noctu fulſit in caſtris 81
Lycopodium 35
Lychnites 84
Lyſandri nauis 8
M
Machærus ciuitas 14

Mälbaum 65
Magnes ferrum attrahit 57
Malleolus de monte Pilati 61.62
Manus Chriſti 80
Man loch od' Moon loch
Marmaritis 14
Marthagon 18
Martius 10
Matthias Curtius 30
Matthæolus Senenſis refellitur 40
Meon 75
Merois 16
Milichius citatur 7
Miluus piſcis 3
Mon milch 66
Mon rauten 31
Montis fracti deſcriptio 45
Montium ſumma amœnitas 50
Monkraut 31
Mons Veneris 62
Morbi quos iterum ſanati ſentiunt. 15
Morochthus lapis 66
Morſus diaboli 23
Motionum natura 7
Müierziger 63
Mures alpini 47
Muſcus vrſinus 65
Muſtelli delphines 4
Muttelina 64
Muttri 64
Mutrinus culus 81
Myrica marina 13

N

Napellus 42
Naphtha 15
Natura qualis ſit in nos 57
Nerion alpinum 64
Nitedula 5
Noctuæ 4
Noctu lucentia 3
Noctilucæ 3
Noli me tangere, herba 65
Nyctegretum 17
Nyctilops 17
Nymphæ 13
Ocriſia grauida facta miro modo. 9

O

Oculi qui clariſsime cernant 4
οἰνωπός color 4
Olfactus 48
Ophiogloſſum 26
Ornus 65
Oſmunda herba 36
Oſtrei teſta 83

P

Pactolus 70
Padus 70
Pæonia mas 30
Palus Pilati 52
Panticapis 84
Pancynicus 13
Parelij 6
Paronychia 22
Patauij monumentum quoddam repertum 5
Pedicularia 66
Pes lupinus 35

Pes vrſinus 35
Phalacræ 75
Philoſophorum lapis 5
Phrygius lapis 29
Phylli genus 64
Pici herba 16
Pila in caſtris Rom. ardere viſa ſunt 18
Pilati palus 46
Pilati puteus 69.70
Pilati ſedes 52
Pilati mons 68
Pilati mors 53.60
Pimpinella maior 64
Pinguicula ibidem
Piſcium capita, ſquamæ, oculi in tenebris cernuntur
Plantæ lucidæ 2
Pneuma 5
Pollux & caſtor 7
Πολυδεύκεες ibidem
Polygonati genus 65
Potamantis 16
Premnoceros 81
Primula veris 23
Probatica piſcina 62
Prodigia quædam referuntur 9
Promethei herbæ deſcriptio. pa. 1
Pulſatilla 64
Pygolampis 5
Pygolampides 6
Pygolampides parum ſplẽdent. 2

Q

Quintum elementum 3

R

Radix apri 63
Ranunculus paruus cauſticus 65
Ranunculus albus maior 65
Rationes naturales quatenus lateant 57
Recocta ſimplex 62
Recocta pinguis ibidem
Rembertus Dodonæus 26
Rhodanus 70
Rodel 66
Roſa alpina 64
Ros Solis 37.38
Rubus Idæus 63
Rupertus dux Alemãniæ et Sueuiæ. 45
Ruta parietum 22

S

Saluia vitæ 22
Saluatinus mons 25
Sambuci caſtellum 62
Sambucus montana 74
Sandauw ende Sindauw. 38
Sanicula alpina 26
Sanicula guttata ibidem
Sanicula ſecunda 25
Sapaon 17
Sapini 70
Scaphagiolus lacus 62
Schiſtos 67
Scholaſtici peregrinantes
Schwartze linſe 37
Scythicus latex 5
Sedi genus 64
Sedi minoris genus ibidem
Σελάχη 4

Selenites 28.84.18
Σελήνη herba 17
σεληνίτης 29
Serpentina 23
Seruÿ Tulli caput arſit 8.9
Serum butyri anckenmilch 63
Serum caſei 63
Seſamoides magnum 33
Seſeli 66
Seſelis 31
Sideritis 36
Sigwurtz 64
Sila torrens 59
Siler montanum 66
Silybus 63
Sol noctu non videtur 2. Nec interdiu.
Solaris lapis 3
Solis oculus ibidem
Sorbus torminalis 75
Soſigenes rationem reddit, cur quædam in tenebris refulgeant. pag.3.
Specus prope Abbatis cellam. 55
Specularia vnde primo facta pag.9.
σφεκλάριον 29
Spica celtica 35
Splendida 2
Splendores nocturni arte facti 5
Squamæ, parum ſplendent 2
Squammæ piſcium 6
Steinhünle 81
Stellæ Caſtores 6
Stella terræ 18
Stellæ quædam nocte & die apparent 2
Strepſiceros 80
Succinum 84
Synnephites 67

T

Tactus 47
Tagus 70
Tanaquil 9
Tarquinius Priſcus 9
Tartara pagus 72
Taura, Tora 31
Tenebras quædam illuminant, et quæ huius ratio. 3
Thalaſſegle 16
θαμνίσκον 32
Thomas Seymorus 83
Thymelæa ſuffrutex 32
Tilia fœmina 75
Titelmannus citatur 11
Tora venenata 38.39.40
Torropanes 72
Treylli arbor 75
Tridens ſaxum 73
Trollius flos 65
Tuſsilago flos ibidem

V

Vadianꝰ de mõte Pilati. 55.56.57
Venner Lehenher 82
Venner Wolff 82
Verbaſcum 75
Vergilÿ ænigma ex AEgloga. 3. pag.1
Vermes noctilucæ 4
Vermis fulgens nocte 5

Ve-

Veſper noctu & interdiu ſplendens. 2
Videndi ratio interdiu, noctuque quæ. 4
Videndi duplex ratio in lumine, & tenebris 2
Viola Martia 65
Vir ſylueſtris deſcribitur 73
Virgula diuina 20
Viriacum 68
Viſus 48
Viſibilia differunt dupliciter 2
Vitis Idæa 63.75
Vitoduri ignis in vertice templi viſus. 12
Vitulus marinus 83
Vlyſſes Aldrouandus 17.29
Vnguentum empiricum ad varia vlcera 25
Vnſer frouwen yß 29
Volucris in Hercynia 4
Voluptas maxima 47. & 48
Vomitus prodeſt 33
Vpupæ herba 16
Vrna fictilis reperta Pataurij 5

W

Widerfeld 54
VVighardus presbyter 45
Wildt varen 36
Wolfswurtz 64
Vulpis oculi 83
Weelaſchen 65

Z

Zetæ vel hypocauſta 6
Zündmarder 83

FINIS.

STADTBIBLIOTHEK ZÜRICH



www.e-rara.ch

Conradi Gesneri Medici De Raris Et Admirandis Herbis, Qvae Sive Qvod Noctu luceant, siue alias ob causas, Lvnariae nominantur, Commentariolus

Gessner, Conrad

Tigvri, [1555]

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: 5.200

Persistent Link: https://doi.org/10.3931/e-rara-4152

www.e-rara.ch
Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d’imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L’éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l’imprimerie jusqu’au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]